AUTHOR:

BAKHOVEN, HEINRICH WILHELM ANTON

TITLE:

DISSERTATIO LETERARIA ...

PLACE:

TRAIECTI AD RHENUM

DATE:

1865

Master Negative #
92-80479-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Bakhoven, Heinrich Wilhelm Anton,
Dissertatio literaria continens quaestiones Sophocleas praecipue spectantes fati notionem in huius poetae tragoediis expressam quam...submittet Henricus Guilielmus Antonius Bakhoven... Traiecti ad Rhenum, typis Gieben, 1865.
75 p. 21½ cm.

Thesis, Utrecht.

Volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 03 12 1992 INITIALS Emilian
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

DISSERTATIO LITERARIA

CONTINENS

QUAESTIONES SOPHOCLEAS

PRAECIPUE SPECTANTES FATI NOTIONEM IN HUIUS POETAE TRAGOEDIIS EXPRESSAM

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IACOBI ANTONII FRUIN,

Iur. Utr. Doct. et in Facult. Iur. Prof. Ord

UTI ETIAM

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARIAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE

IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

HENRICUS GUILIELMUS ANTONIUS BAKHOVEN,

Rhenotrajectinus.

DIE XXVII APRILIS MDCCCLXV, HORA II.

Traiecti ad Rhenum,

TYPIS GIEBEN & DUMONT.

MDCCCLXV.

1865

PARENTIBUS SACRUM.

PRAEFATIO.

Tantum abest ut Sophoclis ceterorumque poëtarum et Graecorum et Latinorum praestantiam facile agnoscamus, ut potius dicendum sit, permulta esse, quae viam ad eam justo pretio aestimandam quasi praecludant. Primum enim, quod levius est, socordia scribarum factum est, ut omnia antiquitatis monumenta erroribus ac vitiis ad nos pervenerint inquinata. Tum vero et hoc gravem difficultatem parit, quod a tempore, quo litterae Graecae floruerunt, ad haec nostra tempora annorum amplius sunt duo millia. Quot quantaeque commutationes obtinuerint in sentiendi et cogitandi ratione per tantum annorum spatium facile est intellectu. Itaque ut errores scribarum diligenter sunt investigandi, sic imprimis temporum illorum imago nobis animo est repraesentanda. Jam huc facere potest, ut rectam fati notionem nobis informemus, qualis sit in Sophoclis tragoediis expressa. Haec igitur quaestio digna mihi visa est, de qua disputarem.

Tristissimo autem casu factum est, ut qui mihi huius

laboris suscipiendi auctor fuit, eius monitis bonae semper frugis plenis in perficiendo uti non licuerit. Abreptus enim est morte vir clarissimus KARSTEN, *cum omnibus carus tum discipulis imprimis pia semper memoria colendus, quam numquam depositum iri a me ex imo pectore spondeo.*

Lubens quoque praesentem opportunitatem arripio, ut tibi, vir clarissime BRILL, *gratias agam quam maximas. Nam, pro tua in omnes discipulos benevolentia, in conscribenda hac disputatione* KARSTENII *loco mihi esse voluisti. Jam vos omnes compellare lubet, Viri clarissimi, qui optime de me meriti estis, inter quos vos, clarissime* ROVERS *et* OPZOOMER, *uti etiam te, doctissime* EKKER, *primos cito. — Quum vero multa illis debeo, vobis omnia accepta refero, dulcissimi parentes! Hic locus non sinit multis me vestras praedicare laudes: memorem gratumque me semper fore vobis persuasum esse scio. Verum praeter ea, quae multi debeant parentibus, ego eam etiam habeo grati animi causam, quod te, pater carissime, praeceptore usus sum! Quo nomine quantopere mihi sis colendus, omnes sciunt, quibus praeclara tua institutione frui contigit.*

SCRIPSI ASSIS.
m. Aprilis MDCCCLXV.

INDEX.

PROOEMIUM.

§ 1. *Exponitur argumentum. De parte agitur, a qua Sophocles suis temporibus stetisse credendus est.*

Quin cum religione apud Graecos poësis semper arcte cohaeserit, non facile quis dubitabit. Nimirum vere aliquis dixit, si ex Homero deos tollis, quid restat? Deos enim hominibus opem ferentes aut hominum incepta irrita reddentes Homerus inducit. Nec minus Pindarus in deorum et heroum mythis semper versatur, nam mortalium laudationes in deorum laudes ab eo convertuntur. Multo magis tamen ad poësin tragicam religio pertinet. Quippe ex choro Bacchico ortum, totum illud poëseos genus, pars esse deorum cultus dici potest.

Simul cum religione immutata, poësis quoque emendata est. Si tempora Pelasgica vel ante-homerica excipis, ad Macedonum dominationem distinguendae sunt in religione periodi tres [1]).

---

[1]) STARK, über die Epochen der griechischen Religionsgeschichte, in opere: Verhandlungen der 20sten Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner in Frankfurt am Main.

Prima Achaica dicenda est. De ea praesertim valet, quod monet Heraclitus: deos factos esse immortales homines, nec non homines deos immortales; — vel quod praedicat Herodotus, quum Graecorum deos prae ceteris ἀνθρωποφυεῖς esse dicit. Carmini epico hujusmodi dii maxime congruunt. Scilicet, ut hominum sic deorum studia diversa censebantur; quo fiebat, ut alius deus alii homini opitulans fingi posset, quae res, ut omnes norunt, magno usui fuit Homero.

Secutum est temporis spatium, in quo Dorienses prae ceteris Graecis imprimis valebant. Ex omnibus diis Apollo et Athene maxime coluntur. Doriensibus autem animi severitas quaedam propria fuit. Jam ex illo tempore dii quasi melius morati facti sunt; — magis quam antea notiones justitiae, culpae, piaculorum, ceterorum in religionem inferuntur. Hinc Orestis, Oedipi, Neoptolemi, ceterorum mythi oriuntur.

Tertia periodus Jonica est. Dionysii imprimis cultum jam agnoscimus. Mysteria Bacchi et Cereris, nec non Orphica initia huic periodo propria sunt. Hac aetate quoque accidit, ut chori carmina, quae in Bacchi festis cani solerent, additis duabus tribusve personis, formam eam obtinerent, quam tragoediam dicunt.

Aeschylus hujus generis auctor atque princeps, ipse mysteriis initiatus erat. Nimirum carmina lyrica, quae in tragoediis insunt, nec non totius fabulae argumenta, non solum in enarrandis traditionibus sacris versantur, sed etiam praecepta et dogmata sacra continent. Nam, quum tragoedia exstiterit illo tempore, quo Cereris mysteria aliorumque imprimis celebrarentur, religioque in solis sacrificiis,

libationibus, ceteris posita esse desineret, necesse erat, ut ipsa tragoedia non mythos solos sed eorundem sensum magis abditum contineret. His argumentis nititur, quod et ceteris tragicis et Sophocli theologiam quandam attribuimus. Quae ipsa *theologia Sophoclis* satis aptum dissertationis argumentum praebere mihi visa fuit.

Ad dramata ejus justo pretio aestimanda profecto hic labor non erit supervacaneus. Accedit, quod simul temporis illius historia illustratur, quum in cogitandi rationem inquirimus tanti ingenii, quantum Sophocli fuit.

Nihilominus vires meas quodammodo superare tantus labor mihi visus est; decrevi idcirco tantummodo eam theologiae Sophocleae partem tractare, quae est *de fati notione;* — quippe quae quasi cardo est, in quo omnis tragoedia versatur. In vocabulorum *μοῖρα* vel *αἶσα* significationem inquirere non satis habui, sed mihi has solvendas proposui quaestiones.

1. *Fata humana secundum Sophoclem a quibusnam reguntur?*

2. *Si plura sunt, quae in humana fata vim habent, quaenam inter diversa illa potest esse conciliatio?*

Praemittatur tamen, necesse videtur, disquisitio brevissima de temporibus, quibus Sophocles vixit, ex qua pateat, qualis Sophoclem inter et aequales intercesserit ratio.

Quum antiquorum scriptorum nullus de industria de Sophoclis theologia egerit, omnia recentioribus ex ipsius Sophoclis tragoediis sunt elicienda. Unus tamen antiquus scriptor sententiam suam de Sophocle prodidit, quae minime est

negligenda. Aristophanem volo. Quo loco ille comicorum praestantissimus in Ranis suis Sophoclem habet?

Lis oborta de reditu in Superos inter Aeschylum et Euripidem sic solvitur, ut ille maximis efferatur laudibus et reditus ex inferis illi concedatur, Euripides contra diris voveatur, quod mores evertisset et artem corrupisset. *Αἰσχύλον αἱρήσομαι*, inquit hujus litis judex constitutus Dionysius, cujus persona populum Atheniensium referre videtur, quem stultam Euripidis admirationem tandem depositurum poëta confidit. Quamquam autem plurima in ipso Aeschylo carpuntur et ridentur, haec ad formam rudiorem et versus quodammodo tumidiores spectant. Placita vero Aeschyli de rebus sacris vel de moribus nulla ab Aristophane reprehenduntur [1]). Quid vero de Sophocle?

Ex sententia Aristophanis, proximus optimo Aeschylo accedit. Quod et ex aliis et inde praesertim apparet, quod, illo absente, *θᾶκος* honorificus in Orco huic occupandus et custodiendus traditur, ne Euripides eo potiatur.

Ran. vs. 1515.

σὺ δὲ τὸν θᾶκον
τὸν ἐμὸν παράδος Σοφοκλεῖ τηρεῖν
κἀμοὶ σώζειν, ἢν ἄρ' ἐγὼ ποτε
δεῦρ' ἀφίκωμαι. τοῦτον γὰρ ἐγὼ
σοφίᾳ κρίνω δεύτερον εἶναι.

---

[1]) BODE, Geschichte der hell. Dichtkunst, Th. III, p. 244, in notis: die Gegenreden des Euripides sind immer so gehalten, das Aeschylus dadurch an Würde gewinnt.

μέμνησο δ', ὅπως ὁ πανοῦργος ἀνὴρ
καὶ ψευδολόγος καὶ βωμολόχος
μηδέποτ' εἰς τὸν θᾶκον τὸν ἐμὸν
μηδ' ἄκων ἐγκαθεδεῖται.

Sic Aeschylus profecturus Plutonem adhortatur. Haec Sophoclis apud comicum mentio sane non praetermittenda videtur; nam Atheniensium comoedia vetus non levi quadam cavillatione continetur, quae in omnes pariter invehatur, dummodo spectatoribus risum moveat.

Ut enim nova Graecorum comoedia, nec non nostri temporis dramata mores aequalium vel vitae privatae consuetudinem pingunt et emendare conantur, haud secus comoedia vetus, verum dicens ridendo, totam publicam vitam sui temporis ostendebat. Libere omnia, quae ad rempublicam pertinerent, dijudicare solebat, nec non pravas civium opiniones tollere conabatur. Atqui arctissime religio cum tota republica cohaerebat. Quae commutatio in vulgi opinionibus de rebus sacris obtinebat, eadem rempublicam collabefaceret, necesse erat. Aristophani autem persuasum erat comoediae munus ultra tendere, quam ad risum movendum. Quod saepius monet. E. g. Ran. vs. 389.

καὶ πολλὰ μὲν γέλοιά μ' εἰ—
πεῖν, πολλὰ δὲ σπουδαῖα, καὶ
τῆς σῆς ἑορτῆς ἀξίως
παίσαντα καὶ σκώψαντα νι—
κήσαντα ταινιοῦσθαι.

Conf. Plut. 557; Ach. 620; Eq. 508; Ach. 625, 631, 653; Pax. 736; Vesp. 1030.

At comoediae indoli haud tamen adversatur. Non sero loquitur de rebus, quae perversa ipsi videntur; tum vero, quae laudat et amat quodammodo ridet.

Quum itaque tale propositum haberet Aristophanes, ut sui temporis mores ac opiniones universas comoediis suis exprimeret, non mirum est, quod de tragicis sui temporis principibus, judicium quoque tulerit. Pertinebat enim ars tragica ad religionem; nec non Bacchica festa publice instituta et administrata illustrare solebat.

Sed ut intelligamus, quid Aristophanis honorificum de Sophocle judicium valeat, quaerendum est, qualis Aristophanes ipse in vita publica fuerit et a quibus partibus steterit. Ex aequalibus imprimis vexat Cleonem, Euripidem, Socratem, Sophistas. Jam licet inter se hi valde diversi sint, tamen commune quoddam habebant. Nempe omnes illi, spretis antiquis, ad praesens hominum judicium omnia revocabant, quod Cleon fecit in administranda republica, Socrates ac Sophistae in puerorum institutione, Euripides in civibus arte sua tragica delectandis. Apud Aristophanem contra tempus actum in honore fuit. Nihil fere suae aetatis proprium est, quod bilem ei non moveat. Maximo desiderio captus est illorum temporum, quibus Graeci, philosophiae adhuc rudes, Persas nuper repulerant. Tunc ars metrica et musica severioribus modis adstricta erat; dii eorumque cultus nondum erant disputandi materia. Democratica licentia ei in odio est. Amat patriae antiquas leges, obsoletosque mores laudat. Aristidis memoriam summo amore prosequitur. Cleoni imprimis adversatur. Philosophos et sophistas corruptores, eversores morum esse censet. Ne longus sim, ab omni illa in sententiis hominum facta commutatione, quae post bella Persica in Atheniensium civitate obtinuerat, alienus est. Quem animum et in aliis fabulis et maxime in *Νεφέλαις* prodidit. Nova ratio persona *τοῦ ἀδίκου λόγου* ab eo in scenam loquens inducitur, antiqua tamquam *Δίκαιος λογος* proponitur. Aristoph. Nub. 889. Hoc tamen animadvertendum est: ut in Ranis Aeschylus nonnumquam ridetur, sic quoque in Nubibus *Δικαιος λογος* ridiculo non exemptus est. At vel ex nominibus utrique tributis apparet, nisi aliunde patebat, ab utra parte steterit poeta.

Quibus omnibus perpensis, facile intelligimus, quaenam sit causa, ob quam Aeschylus prae ceteris poëtis Aristophani in deliciis sit. Ad fortitudinem enim hic semper civium animos incitat. Quae glorians in Ranis ita de se praedicat. vs. 1013.

σκέψαι τοίνυν οιους αυτοὺς παῤ ἐμοῦ παρεδέξατο πρῶτον·
......πνέοντας δόρυ καὶ λογχας καὶ λευκολόφους τρυφαλείας
καὶ πηληκας καὶ κνημῖδας καὶ θύμους ἑπταβοείους.

et paulo infra:

δρᾶμα ποιήσας "Αρεος μεστον.

Eodem modo et haec:

εῖτα διδάξας Πέρσας μετὰ τοῦτ᾽ ἐπιθυμεῖν ἐξεδίδαξα
νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους, κοσμησας ἔργον ἄριστον.

Aeschyli versus non molles et dulces sed graves et sublimes sunt. Placita ejus de diis prorsus cum antiquorum temporum ratione congruunt. Ad reverentiam deorum et patriae amorem spectatores excitare studet. Quum de diis

vel rebus divinis loquitur, nullam invenires ratiocinationem vel veritatis divinae disceptationem; timor pius ubique animos chori occupat et carmina lyrica spirant metum quemdam, ne quis deorum rebus humanis invideat. Cui Aeschylo oppositus est Euripides, quippe qui prorsus imbutus est omnibus, quae sua aetas attulisset nova. Metrica et musica liberius et quasi effeminatius ab eo tractatur. Studium ratiocinandi [1]) et de omnibus rebus in contrarias partes disserendi ubique apud eum reperias: Philosophus de scena vere dicitur. Mythi deorum, heroumque res gestae ei nil nisi opportunitates tribuunt dramatibus suis. Deorum nomina saepe citantur, sed eo pacto, ut facile agnoveris poëtam nullo fere loco eos habentem. Ethicis praeceptis contra et philosophicis sententiis scatent fabulae Euripideae [2]).

---

[1]) LÜBKER, die soph. Theol. und Ethik, 1ste Halfte, p. 6: Wenn beim Aeschylos der überlieferte Mythos mit dem naturlichen Bedurfnisse religioser Darstellung im symbolischen Ausdrucke ohne Spaltung der Reflexion zusammenfällt, wird derselbe beim Euripides seiner Hulle ganzlich entkleidet und sinkt durch die an die Stelle des Glaubens getretene reflectirende Verstandesthätigkeit zum nackten Begriffe herunter.

[2]) THIERSCH, *über das Schicksal in den griechischen Tragödien:* Euripides spricht oft vom Schicksal und öfters von den Gottern. Er erwähnt das Schicksal und die Götter nur wie es scheint, weil es sein Vorgänger that, ohne einen Zweck vor Augen zu haben und das Schicksal wircklich in die Tragödie zu verweben PATIN, *Études sur les Tragiques grecs*, Paris 1858, Th. 1, p. 43: Lorsque l'on compare Euripide à ses devanciers, on est d'abord frappé d'un grand changement: l'antique merveilleux, au sein duquel la tragédie avait pris naissance, et qui, après avoir couvert de ses ombres la scène d'Eschyle, s'était par degrés éclairci, pour y laisser paraître les idéales figures de Sophocle,

Quorum inter utrumque, Sophocles ponitur, propius autem ab Aeschylo, et non immerito.

Sophocles enim longe abhorret ab impietate et levitate in rebus divinis tractandis, quas in Euripidis operibus aliisque, qui cum eo sentirent et ab antiqua ratione discederent, invenimus. Pio animo praeditus Sophocles numquam nisi summa cum reverentia deorum mentionem facit. Religio illa a populo semper culta, mythis et traditionibus illustrata, majoribus sacra, ei fons est, ex quo hauriat ea, quibus civium animos ad majora evehere studet. Hoc nomine Aeschyli prorsus similis est. Attamen discrimen quoque inter utrumque tragicum obtinet non parvum. Eatenus Sophocles antiqua religione stetit, quatenus ex ea notiones clariores et puriores elicere potuit. Placita illa notionesque clariores, quas jam populi religioni subesse videbat tum conatus est illustrare, tum facultate sua poëtica nova addere studuit [1]). Antiquam religionem non sprevit, sed excoluit, emendavit, auxit. Imprimis sic ea usus est, ut maxime ad voluptatem tragicam excitandam comparaverit [2]).

---

s'est tout à fait dissipé. Cette progression était inévitable: elle suivait le mouvement des esprits vers les spéculations philosophiques.

[1]) LIMBURG BROUWER, Hist. de la civilisation. Sophocle comme Pindare représenta les divinités adorées par le peuple d'une manière qui devait augmenter son respect pour elles; Sophocle s'en tint aux opinions du vulgaire, et il ne tâcha ni de les ébranler .... Hactenus prorsus viro doctissimo assentimur; sed haud scio an recte dictum sit, quod addit: *ni de les corriger.*

[2]) Optime LÜBKER in opere citato: Sophocles steht, wie zwischen seinen beiden nächsten Kampfgenossen auf der Bühne, dem Aeschylus und Euripides;

vel rebus divinis loquitur, nullam invenires ratiocinationem vel veritatis divinae disceptationem; timor pius ubique animos chori occupat et carmina lyrica spirant metum quemdam, ne quis deorum rebus humanis invideat. Cui Aeschylo oppositus est Euripides, quippe qui prorsus imbutus est omnibus, quae sua aetas attulisset nova. Metrica et musica liberius et quasi effeminatius ab eo tractatur. Studium ratiocinandi [1]) et de omnibus rebus in contrarias partes disserendi ubique apud eum reperias: Philosophus de scena vere dicitur. Mythi deorum, heroumque res gestae ei nil nisi opportunitates tribuunt dramatibus suis. Deorum nomina saepe citantur, sed eo pacto, ut facile agnoveris poëtam nullo fere loco eos habentem. Ethicis praeceptis contra et philosophicis sententiis scatent fabulae Euripideae [2]).

---

[1]) LÜBKER, die soph. Theol. und Ethik, 1ste Hälfte, p. 6: Wenn beim Aeschylos der überlieferte Mythos mit dem natürlichen Bedürfnisse religiöser Darstellung im symbolischen Ausdrucke ohne Spaltung der Reflexion zusammenfällt, wird derselbe beim Euripides seiner Hülle gänzlich entkleidet und sinkt durch die an die Stelle des Glaubens getretene reflectirende Verstandesthätigkeit zum nackten Begriffe herunter.

[2]) THIERSCH, *über das Schicksal in den griechischen Tragödien*: Euripides spricht oft vom Schicksal und öfters von den Göttern. Er erwähnt das Schicksal und die Götter nur wie es scheint, weil es sein Vorgänger that, ohne einen Zweck vor Augen zu haben und das Schicksal wircklich in die Tragödie zu verweben PATIN, *Études sur les Tragiques grecs*, Paris 1858, Th. I, p. 43: Lorsque l'on compare Euripide à ses devanciers, on est d'abord frappé d'un grand changement: l'antique merveilleux, au sein duquel la tragédie avait pris naissance, et qui, après avoir couvert de ses ombres la scène d'Eschyle, s'était par degrés éclairci, pour y laisser paraître les idéales figures de Sophocle, s'est tout à fait dissipé. Cette progression était inévitable: elle suivait le mouvement des esprits vers les spéculations philosophiques.

Quorum inter utrumque, Sophocles ponitur, propius autem ab Aeschylo, et non immerito.

Sophocles enim longe abhorret ab impietate et levitate in rebus divinis tractandis, quas in Euripidis operibus aliisque, qui cum eo sentirent et ab antiqua ratione discederent, invenimus. Pio animo praeditus Sophocles numquam nisi summa cum reverentia deorum mentionem facit. Religio illa a populo semper culta, mythis et traditionibus illustrata, majoribus sacra, ei fons est, ex quo hauriat ea, quibus civium animos ad majora evehere studet. Hoc nomine Aeschyli prorsus similis est. Attamen discrimen quoque inter utrumque tragicum obtinet non parvum. Eatenus Sophocles antiqua religione stetit, quatenus ex ea notiones clariores et puriores elicere potuit. Placita illa notionesque clariores, quas jam populi religioni subesse videbat tum conatus est illustrare, tum facultate sua poëtica nova addere studuit [1]). Antiquam religionem non sprevit, sed excoluit, emendavit, auxit. Imprimis sic ea usus est, ut maxime ad voluptatem tragicam excitandam comparaverit [2]).

---

[1]) LIMBURG BROUWER, Hist. de la civilisation. Sophocle comme Pindare représenta les divinités adorées par le peuple d'une manière qui devait augmenter son respect pour elles; Sophocle s'en tint aux opinions du vulgaire, et il ne tâcha ni de les ébranler .... Hactenus prorsus viro doctissimo assentimur, sed haud scio an recte dictum sit, quod addit: *ni de les corriger.*

[2]) Optime LÜBKER in opere citato: Sophocles steht, wie zwischen seinen beider nächsten Kampfgenossen auf der Bühne, dem Aeschylus und Euripides;

§ 2. *Virorum doctorum de fato sententiae quam brevissime enarrantur et dijudicantur.*

Quum constet ad tragoedias probe intelligendas requiri, ut lector vel spectator sibimet ipsi rationem reddere possit, qui tandem et quare calamitatibus illis dirissimis obnoxii sint homines, quales Oedipus, Ajax, ceteri tragoediarum heroes, utrum fatum quoddam animo ac mente destitutum an divina ratio justa et aequa hominum fata administret, videamus, quid viri docti de hac gravissima quaestione senserint.

Et primum quidem, quid Aristoteles acutissimus ille interpres statuerit exploremus. At ne verbo quidem de illa re monet. Num philosophus de industria hanc rem silentio praeteriisse censendus est, ratus scilicet ad artem tragicam omnino non referre, utrum divina ratio, an fatum mundum regat? — Non credo.

Quaenam igitur hujus silentii causa esse potest? — Quaestio a variis vario modo dirempta est.

Thierschius lacunam capite nono Artis poëticae esse animadvertens ex capitis fine conjicere ausus est, illo loco nonnulla de fato scripta excidisse [1]). At lacuna illa jam ab Hermanno et a Rittero expleta esse dici potest. Utrius-

so nicht minder zwischen den beiden groszen Historikern seines Zeitalters dem Herodot und dem Thycydides in der Mitte .... et porro: seine Haltung ist zwischen einer vorsichtig erhaltenden und stürmisch erneuernden Richtung. Vid. MÜLLER. Gesch. d. gr. Litterat., Th. II, p. 8, 118.

[1]) B. THIERSCH: über das Schicksal in den griechischen Tragödien. Halberstadt, 1826.

cunque viri conjecturom praeferas, iis, quae hi viri docti verisimiliter excogitarunt, constare videtur non necessario admittendum esse, Aristotelem ipso illo loco, qui nobis periit, de fato egisse. — Alio enim modo verba expleri posse patet.

Nec minus Bluemneri sententia [1]) mihi rejicienda videtur. Quum Aristoteles summam rerum vim naturae tribuat, eum de industria silentio hunc locum praeteriisse arbitratus est. Mirum tamen esset, philosophum talem, qualis fuit Aristoteles, ideo quod ipse aliter de his rebus statueret, in tractandis poëtarum operibus, eorum sententiam in tanta re dijudicare dedignatum fuisse. Nam hoc tenendum est, Aristotelem non sic de arte poëtica scripsisse, ut sola ratiocinatione, propriove pulcri sensu ductus, praecepta magistri in modum praescriberet, sed potius, ut principum poëtarum operibus lectis et perlectis, quam hi secuti viderentur rationem et viam caeteris imitandam proponeret.

Jam si fati partes in tragoedia Graeca sunt tales, ut jure Schillerus ceterique monuerint, notione fati sublata, tragoedias, re vera eo nomine insigniendas, esse non posse, profecto Aristoteles de hoc loco separatim et ample egisse credendus est.

Fuerunt, qui ita statuerent: quum illud, quod de fati partibus monuit Schillerus, in Aeschylum quidem et Sophoclem caderet, non vero in Euripidem; quumque hunc tragicum praesertim intueretur Aristoteles, philosophum hanc ob

[1]) Vid. BERNHARDY, Gesch. d. griech. Litt.

causam de re non egisse, quae magis ad illos, quam ad Euripidem pertineret. In his Bernhardius. Scilicet quum ne in Aeschylo et Sophocle quidem tam graves talesque fati partes agnoscat, quales Schillerus ei tribuit, in Euripide hujus notionis nulla omnino exstare vestigia contendit.

At licet haec opinio nitatur auctoritate tanti viri, equidem censuerim, Sophoclem magis etiam quam Euripidem Aristotelem spectasse, ejusque oculis obversatum fuisse. Et quidem verba haec: *ὁ Εὐριπίδης τραγικώτατος γε τῶν ποιητῶν φαίνεται*, hanc Bernhardii opinionem probarent, nisi ex oratione contexta alium sensum his verbis subesse pateret. Locus sic se habet [1]): *ἐπὶ γὰρ τῶν σκηνῶν καὶ τῶν ἀγώνων τραγικώταται αἱ τοιαῦται* (si fabulae exitus tristis est) *φαίνονται, ἂν κατορθωθῶσι, καὶ ὁ Εὐριπίδης εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.* — *τραγικώτατος* igitur hoc loco idem valet ac *qui peritissimus est in misericordia spectatorum movenda, eo, quod tristes fabularum exitus fecerit*, vel ut Quinctilianus „in affectibus cum omnibus mirus, tum in iis, qui miseratione constant, facile praecipuus.” Magna profecto laus ei ab Aristotele tribuitur, imprimis ratione habita eorum, quae philosophus de summo tragoediae consilio capite sexto monuit. At eatenus tantum *τραγικώτατος* dicitur, quatenus tristes fabularum suarum sunt exitus, et quod plus fortasse etiam valet, *εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ*, quod indicat non in nonnullis aliis rebus peccare,

1) Cap. 13.

sed in omnibus, quae ceteroquin ad fabulas rite componendas requiruntur.

Maximae vero laudes, ni fallor, tribuuntur Sophocli capite XIII, quo loco Aristoteles monet, quales viros calamitatibus obnitentes poetam fingere oporteat: *ὁ μεταξὺ ἄρα τούτων* (i. e. *τοῦ ἐπιεικοῦς καὶ τοῦ μοχθηροῦ*) *λοιπός ἔστι δὲ τοιοῦτος ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων καὶ δικαιοσύνῃ, μήτε διὰ κακίαν καὶ μοχθηρίαν μεταβάλλων εἰς τὴν δυστυχίαν, ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν τινά, τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων καὶ εὐτυχίᾳ, οἷον Οἰδίπους καὶ Θυέστης καὶ οἱ ἐκ τῶν τοιούτων γενῶν ἐπιφανεῖς ἄνδρες.* [1]).

Hoc autem ipsum est, quod valet de personis, quos Sophocles inducit, ut infra monebimus.

Jam satis constare mihi videtur, argumentum Bernhardii statuentis, Aristotelem Euripidem imprimis spectasse et idcirco fati mentionem nullam fecisse, facile redargui. Sed etiamsi verum esset, quod statuit, sic nondum Aristotelis silentium satis explicatur. Nam et in Euripide multa sunt, quae divinae justitiae refragari videantur. Si, quod ipse sentio de hac re proferre, licet, hoc statuo. Aristoteles, scripseritne de hac re necne, neque affirmari neque negari omnino potest. Qua enim conditione iste liber ejus ad

1) Non ignoro exstare locum, in hoc libro, qui vituperationem maximam Sophoclis continet. Legitur capite XIV. Sed a RITTERO spurius habetur, et jure quidem, quia plurima offendunt. Vid. F. RITTER. *Arist. poëtica ad codices antiquos recognita, latine conversa, commentario illustrata. Coloniae*, 1849. Laudatur porro Soph. C. 16. C. 18. C. 25. C. 27. Euripides vituperatur C. 15. C. 18. In Ethicis Nicom. III. p. 1110, vs. 27.

nos pervenit? Aut epitome est operis cujusdam majoris Aristotelis deperditi, aut opus quidem ipsius Aristotelis, verum additamentis corruptelisque inquinatum et crebris lacunis quasi hians. Res maxime diversae mixtae libro illo continentur; praeclarissima praecepta cum rebus futilibus conjunguntur; extrema capita in tractandis elementis artis cujusdam grammaticae, e scholis sophistarum petitae, versantur et prorsus ab argumento, quod titulo significatur, sunt aliena.

Licet igitur grave negotium foret locum indicare, ex quo disquisitio de fato exciderit, e contrario nemo jure contendet, philosophum de illa re non egisse. — At mihi quidem probabilius esse videtur, Aristotelem nusquam de hac re data opera egisse. Quae enim in tragoediis Graecis insunt ad religionem pertinentia, sunt opiniones populares, a poëtis ornatae. Ineptum profecto foret statuere poëtis tragicis de justitia divina aut de fato placita fuisse a populi opinionibus ita discrepantia, ut theologiam privam sibique propriam habuerint.

Jam si Aristoteles de uno alterove tragico separatim egisset, fortasse explicuisset quoque, qualem doctrinam rerum divinarum secutus esset. Quum autem de arte poëtica in universum ageret, ea, quae ad hunc vel illum poëtam singulatim pertinerent, omisisse videtur. Neque magis philosophica opera Aristotelis vel aliorum in nostra re in censum venire possunt; nimirum philosophi religionem popularem non respiciebant.

Recentiores igitur quid proferant, nobis videndum est.

Quid Schillerus, nobilissimus poëta Germanus, de fato censuerit, ex ejus fabulis, imprimis ea, quae *sponsa Messanica* inscribitur, conjici potest, quippe in qua imaginem fati veterum Graecorum poëtarum expressisse sibi visus est. Tum vero ipse in disquisitione *de arte tragica* fati antiqui notionem enucleare conatus est. Fatum igitur tamquam numen quoddam sibi finxit vel daemonem malevolum, qui sine justa causa in hanc illamve gentem ita saeviret, ut peccatis, sceleribus, necibus non prius vacaret, quam tota exstincta esset. In Schilleri fabula, quam laudavimus, *sponsa Messanica*, fratres implacabili odio se invicem persequentes inducuntur. Hujus irae causa nulla est, nisi daemonis cujusdam dira voluntas, aut devotio per generationem a patribus ad liberos deducta. Schillerum multi poëtae Germani secuti sunt, et, ut fit, rerum atrocitatem auxerunt. Verbo dicam: tragoedia, quae proprio nomine *fatalis* dicta est [1]), ut furor quidam Germanas literas invasit. Sed fuerunt etiam viri docti, qui in hoc argumentum inquirerent. E multis Thierschium adlego, qui in programmate inscripto *de fato in tragoediis Graecis*, hac de re egit.

Fatum esse putat vim quandam, quae futura ante constituerit ita, ut nil mutari possit; tum vero mortalium felicitati invidens hominibus adversetur et probissimos ac felicissimos quosque petat, nullius sceleris conscios, nec prius desistat, quam ipsos totamque progeniem pessumdederit. Fuerunt quoque, qui plane aliter statuerent. Bluemnerus,

---

1) *Schiksalstragödie.*

Gerlingerus, alii. — Hi morale consilium tragicos sibi proposuisse arbitrati sunt, et in suo quemque vitio plecti ostendere spectatoribus voluisse. At vero, si hoc verum esset, Oedipum, Antigonen, Ajacem vitio quemque suo miseram sortem sibi conscivisse statuendum esset, sed tales personae quomodo, quaeso, nostram misericordiam movere posse credendum esset, quum, quod jam Aristoteles monuit, maleficus justam poenam luens, minime illum animi motum in spectatoribus excitet?

Dicam, quod sentio: fabularum argumentum illi ita enarrant, ut facile agnoscas, res de industria atris coloribus pictas, quo scilicet praejudicata scriptoris opinio vincat. Videamus igitur, quae de Oedipo prodiderit Gerlingerus [1]): Laius in eo peccavit, quod, quum eum monuisset oraculum, ne liberos procrearet, huic praecepto non obsecutus esset; — quod filiolum exponendum servo mandasset; — quod rem gravissimam tanta animi levitate tractasset, ut calamitatem sibimet ipsi paene imprecari videretur; — quod Pelopis, hospitis sui filium Chrysippum rapuisset. Quorum omnium scilicet caedes Laii, filii manu illata, judice Gerlingero, justa poena habenda est. Argumenta satis gravia his opponere, levis est opera. Nimirum omnia, quae Laius fecerit, extra fabulam aguntur, nec mythici illi personae ut veri homines haberi possunt, quorum res et actiones inter se ita consistunt, ut altera alterum provocet et eliciat.

1) *Fatum und Nemesis in der dramatischen Dichtung: eine aesthetische Studie*, 1858; et ejusdem auctoris, *die griechischen Elemente in* SCHILLERS *Braut von Messina*, *Neuburg a/D.* 1853.

Praeterea plura insunt in his inepta: oraculum Laium non a liberis procreandis abstinere jusserat, verum praedixerat: *μοῖραν ἔχειν τὸν Λαΐον πρὸς παιδὸς θανεῖν*. Tum, quo jure tandem Chrysippi raptum inter causas calamitatum gentis Labdacidarum a Sophocle adnumeratam esse censeas, quum ille raptus ne memoretur quidem a Sophocle? Sed fallitur eodem modo Gerlingerus, ubi Oedipum quoque tam gravi culpae obnoxium esse contendit, ut aequam poenam subierit. Hoc scilicet in Oedipo tanta poena dignum censet, quod, licet ab oraculo de parentibus certior factus non esset, de patre vero interficiendo et matre ducenda esset monitus, mira tamen animi levitate, omne dubium de parentibus subito abjecerit; tum quod iracundia ductus senem inermem multosque ejus satellites levi de causa interfecerit; — denique quod a matrimonio cum muliere annosa, licet monitus, non abstinuerit et, scelere aperto, furiosus in se ipsum saevierit. Mitto, quod jam de Laii persona dixi, nimirum, talem rationem mythi indoli refragari; sed quis Oedipo non facile condonet, quod, ab oraculo dubius relictus, in errorem inciderit? Tum de Laii ejusque satellitum caede ne e nostra sentiendi ratione statuas, probe cavendum est. Servorum enim caedem Graeci non admodum morabantur. Sic *patris ac regis* caedes Oedipo, cum a semet ipso, tum ab aliis crimini vertitur; verum quod simul servos nonnullos profligaverit, non curat. Sic quoque Ajaci non imputatur, quod boum pastores ceciderit; illi enim pecudibus pares haberi videntur; quin ipsa Minerva Ajacem in pecudes et pastores immiserat. Non igitur pastorum caedes ei crimini

vertitur, sed insanies, qua pecora petiverat, et animus Graecorum principes occidendi.

Quibus perpensis, sic statuimus: esse quaedam in Oedipo, quae minus laudanda videntur; non tamen scelera ab eo patrata esse tanta, ut calamitatibus, quas dein passus est, aequiparari possint.

Quae de Eteocle et Polynice monet Gerlingerus non pluris facienda videntur. Antigone denique *σκληρὰ ἄγαν* profecto dicenda est; cam tamen hac de causa mortem commeruisse, quis contenderit? Pietatis eximiae exemplar est et prae aliis digna, cujus calamitates tragoedia celebrentur.

Vidimus ergo ethicum praeceptum illud, malos poenas dare scelerum, non id esse, in quo cardo tragoediae versetur. Non praetermittenda hîc est sententia, quam protulit vir doctissimus, V. LIMBURG BROUWER. — Scripsit de ratione, qua Sophocles veterum sententiis de diis humanas res moderantibus usus sit ad voluptatem tragicam augendam. Qui vir elegantissimus primum egit de consilio tragoediae apud Graecos et de ratione, qua hominum animos afficiat. Quibus expositis singulas fabulas recenset, ut ex argumenti expositione et totis fabulis rationem illam eliciat. Quatenus ad nostrum argumentum pertinent, iis, quae affert in disquisitione, quam instituit, efficitur, homines a daemone quodam *ἀλάστορι* ad peccandum excitari, ut ita diis ultoribus obnoxii fiant [1]). Et profecto haec sententia multum habet, quo se commendet. Hoc enim comprobato, facile intelligimus ingentem illam

[1]) Vid. in opere citato, p. 69.

commiserationem, quam Sophoclis fabulae movent. Nimirum nec culpa prorsus vacant heroes tragici, nec scelerum immanitate misericordia indigni videntur. Sunt quoque in heroum factis, ad quae committenda eos non nisi a daemone quodam malevolo instigatos esse posse credas. Quî fit, ut exemplo utar, ut Oedipus, ambiguo responso ab oraculo accepto omnem curam de parentibus prorsus abjiciat? Quî, ut Dejanirae in mentem non veniat, Nessum ab Hercule vulneratum, eidemque infensum, nil nisi perniciem sibi moliri posse? Talia plura occurrunt. Nihilominus et ipsa illa sententia habet, quod offendat, et obcaecatio illa mentis, quam in personis tragicis offendimus aliter explicanda videtur, ut infra monendi locus erit.

Et porro, licet ad patranda ea, in quibus minus caute heroes tragici agant, ut Oedipus in sene interficiendo et Dejanira in dono conjugi mittendo, a diis instigati dicantur, hac in re non praetermittenda est illa distinctio, quam in Sophocle observatam invenimus, inter duas dicendi formas illas, quarum una est *οἱ θεοί* sive potius *θεοί*, vel *δαίμονες*, quasi nomine collectivo expressa, altera est ea, qua Jupiter, Apollo, ceteri dii singulatim et nominatim tamquam hujus illiusve facti auctores citantur. At lucidus ordo postulare mihi videtur, ut haec infra demum, ubi locus erit, copiosius exponam.

Perlectis igitur scriptis, quae post utilissimum LIMBURG BROUWERI laborem edita sunt, in hanc quaestionem tractandam operam impendere statui.

CAPUT I.

De notionibus quae, vocabulis ἄτη, δαίμων, ἐρινύς, subsunt.

§ 1. *ἄτη.*

Has notiones ut recte animo concipiamus, breviter fabularum argumenta sunt exponenda.

Oedipus Rex, Oedipus Coloneus, Antigone.

Hae tres fabulae in Labdacidarum calamitatibus versantur. Laio, qui primus ex hac familia tragoediae materiem praebuit, praedictum fuit quondam, ipsum a filio suo necatum iri. — Licet Laius uxorque ejus Jocaste hoc malum effugere conentur, ratum fit oraculum. — Oedipus Laii filius, ira commotus, nescius patrem, cui in via angusta obvius fit, interficit; nescius idem matrem uxorem ducit. — Verum haec Sophocles in tragoedia peculiari non tractavit, sed in OEDIPO REGE tamquam antea gesta narrantur. Hujus autem fabulae argumentum hoc est. Thebarum urbs ob regis interfecti crimen inultum peste divinitus immissa, vehementur vexatur. Oedipus

in facinoris auctorem inquirens se ipsum parricidam atque suae matris conjugem factum reperit; summo horrore affectus oculos sibi effodit atque patriam relinquit. In Oedipo Coloneo idem rex inducitur, oraculo obsequens, fore ut post multos errores et calamitates tandem in Furiarum luco requiem inveniret. Imprudens eo advenit. Creon a Theseo impeditur, quominus illum inde Thebas ducat. Ob impietatem filios suos exsecratur Oedipus. In Eumenidum luco eo eventu, quem oraculum ei praesagierat, potitur: subito scilicet evanescens moritur.

Ex iis, quae dein Labdacidarum familiae acciderunt, Sophocles solum tractavit Antigones facinus. Fratres dominandi lubidine ducti se invicem interfecerant, qua re Oedipi exsecratio rata facta fuerat. — Creon post fratrum obitum rex factus interdixerat, ne quis Polynicem sepeliret. Quae omnia accipimus in fabulae, quae Antigone inscribitur, prologo. Ipsa fabula inducit Antigonen, spretis hominum decretis, obedientem *non scriptis* legibus. Ismenes chorique consilia parvi facit et fratrem sepeliendum curat. Creon eam ad tristem mortem duci jubet. At Tiresiae vatis praesagiis et filii atque uxoris voluntaria nece perculsus, impietatis suae conscius factus facinus suum toto pectore detestatur.

Ajax.

Ajax prae ceteris fortis suisque viribus confidens eum in modum, ut vel deorum auxilia sperneret, ob arma Achillis sibi negata Ulixique tradita, adeo ira incenditur in Graecorum principes, ut eos interficere statuat. At Minerva eum

insania correptum in gregem immittit. Ajax jam mentis compos factus, sibimet ipsi manum infert. Contumeliam enim, quam sibi insano illo facinore contraxerat, ultra ferre nequit. Ultima pars tragoediae Teucri et Menelai nec non Agamemnonis contentionem de Ajace sepeliendo continet, quae lis ab Ulixe dirimitur.

Electra.

Pelopidarum domus jam per plures aetates gravissimis calamitatibus obnoxia erat. Ex tota flagitiorum quasi serie unum modo tractavit Sophocles, nempe caedem Clytemnestrae et Aegisthi ab Oreste perpetratam. Verumtamen primas partes in hac fabula agit Electra. Frustra fratris adventum jam diu exspectans, aegritudine conficitur. Non enim adducere animum potest, ut Chrysothemidis instar cedat temporibus et matri morem gerat. Quae causa est, ut a matre Clytemnestra et ab Aegistho foedo victu et habitu vitam agere cogatur. Quum dein, fraternae mortis falsum nuntium accepit, neque quidquam jam sibi de eo sperare posse videtur, ultionis munus ipsa suscipere statuit. Mox tamen veriora de fratre accipit. Ipse Orestes adest. Adjutus a Pylade suo matrem ejusque moechum imprudentes opprimit, et memor praecepti, quod a Phoebo nuper retulerat, ipse manu sua patris caedem vindicat.

Philoctetes.

Argumentum hujus fabulae praebet oraculi effatum, non fieri posse, ut urbs Trojae caperetur nisi Herculis armis.

Deorum potentia fit, ut illud fati decretum in aliud tempus differatur. Philoctetem enim, cujus patri Hercules moribundus sagittas suas gestandas tradiderat, aliquamdiu morbo conflictantem a Troja dii detinent. Quum autem diis jam tempus esse videtur Trojae delendae, morbo liberari potuit Philoctetes. Verum hic ira atque ulciscendi cupidine motus ipse suae saluti obstat, donec tandem ab Hercule praesente sibi persuaderi patitur, ut Trojam se conferat.

Trachiniae.

Dejanira Herculis uxor, timens ne sibi injuria inferatur imprudens conjugis necis causa fit. — Herculem, ut ei praedictum erat, ultimo labore perfunctum requies, id est, mors exspectat, quae mors juxta Dei oracula, non ab homine vivo sed a mortuorum aliquo ei infertur. Dejanira in eo minus caute agit, quod secum non reputat, Nessi donum non nisi damnum afferre posse. Metu atque ira mens ejus obcaecata est; aegre enim fert, quod alia femina in iisdem aedibus secum habitatura sit, eiusdemque amoris locum, quem ipsa possidet, sit obtentura.

Ut jam probemus, partes humani arbitrii in tragoedia non esse nullas, ad fabularum argumenta paulo accuratius attendamus. Nimirum *duplex* cernitur *genus causarum*, quae illos omnes, quos in Sophoclis tragoediis malis obnitentes videmus, ad perniciem ducunt. Alterum *in ipsorum hominum mentibus et ingeniis*, *alterum extra homines* situm.

Antigones mortis causa est eximia ejus pietas atque animus paulo acerbior. At plura sunt, quae actionis, quam suscipit, ansam praebent. Creontis saevitas, mors Polynicis, alia. — Verum haec omnia Antigonae cum sorore communia sunt; quidni igitur haec facinus illud perpetrat? Scilicet propterea, quod erat debilior animo. Quamvis pietate non destituta, egebat animi illa magnitudine, qua ducta Antigone, spreto Creontis edicto, pium officium perfecit.

Fac Ismenen fratrem sepelivisse. Facinore detecto, submissius se gessisset erga Creontem, iram ejus non incitasset convitiis; itaque leviore poena scelus luisset. Idem valet de Electra et Oreste. Matrem interficiunt. Quaenam hujus rei causa est? Facile sit plures enumerare causas: Dices vindicandae urguens necessitas, Clytemnestrae scelus animusque in filiam justo severior, multa alia. — Quidni autem Chrysothemis cum iis ad idem facinus patrandum conspirat? Accedunt igitur ceteris causis, Electrae Orestisque pietas eximia et animi fortitudo.

Vel Oedipus quodammodo aerumnarum, quibus premitur, auctor ipse est habendus, eatenus scilicet, quatenus *ira commotus* in via hominem ignotum interficit, ac satis leviter uxorem ducit, quamquam nondum ei innotuerat, quae mater esset; tum vero *animi fervori* tribuendum est, quod sibi ipsi justo durius supplicium intulit.

Immo vero in fatis Ajacis maxima pars ipsius indoli tribuenda videtur. Licet enim furor ille, quo ductus Graecorum principes necare conatur, et illa mentis obcaecatio, qua in gregem irruit, ei a Minerva injecta dicatur, nihilominus tamen

superbia, ferocia, nimia fiducia Ajacem mentis impotem reddunt. Ipse chorus (vs. 925 sqq.) rei testis esto:

> ἔμελλες τάλας, ἔμελλες χρόνῳ
> στερεόφρων, κακὰν ἐξανύσειν ἄρα
> μοῖραν, ἀπειρεσίων πόνων! τοῖά μοι
> πάννυχα καὶ φαέθον-
> τ' ἀνεστέναζες, ὠμόφρων,
> ἐχθοδόπ' Ἀτρείδαις, οὐλίῳ ξὺν πάθει.

Dejanira, concedo, invita maritum interficit. Num tamen ipsa quoque Dejanira culpae plane immunis est? Immo: *animus ejus ira concitatus* causa est, cur imprudentius egerit. In fabula vero Philoctete ipse Hercules prodit, qui Philoctetae irae nimis indulgenti, suadet, ut Trojam se conferat. Licet igitur numine suo Philoctetae consilium vertat, et verbis iram ejus sedet, ipse ille Herculis adventus probat, hominum mentes a natura non ita comparatas esse, ut per se idem velint, quod vel dii vel fatum. Nisi ipsis hominibus suae partes relinquerentur, quomodo quaeso sermo de justitia ullus esse posset [1]), quae per meram imaginem, ut persona, extra homines existens fingitur, quippe cujus sensus revera hominum pectoribus insitus sit. Si ex Sophoclis sententia homines tantum causis non in ipsis hominibus sitis regerentur, quid dicendum de locis, quorum unus hic est: Tr. vs. 727 sqq.

---

[1]) PLATNER, *über die Idee der Gerechtigkeit in Aeschylus und Sophocles*; Leipzig 1858: p. 8: »die Voraussetzung des Rechts und der Gerechtigkeit, der menschlichen sowohl als der göttlichen, ist die freie Selbstbestimmung des Übelthäters."

ἀλλ' ἀμφὶ τοῖς σφαλεῖσι μὴ 'ξ ἑκουσίας
ὀργὴ πέπειρα, τῆς σε τυγχάνειν πρέπει.

Sunt verba chori, quum Dejanira in eo est, ut Nessi sanguinis vim letiferam animadvertat et haud sciat, an magnae calamitatis auctor exsistat.

Jam si Dejanirae, quia inscia peccat, culpa est levior, animus nocendi inter causas facinoris esse possit, necesse est. In Philocteta vero vs. 1318 distinguitur inter mala, quae divinitus immittuntur hominibus et quae homines ipsi sibi consciscunt.

. . . . *ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν*
τύχας δοθείσας, ἔστ' ἀναγκαῖον φέρειν·
ὅσοι δ' ἑκουσίοισιν ἔγκεινται βλάβαις.
ὥσπερ σύ. τούτοις οὔτε συγγνώμην ἔχειν
δίκαιόν ἐστιν. οὔτ' ἐποικτείρειν τινά.

Facti autem cujuslibet causa non simplex sed multiplex esse solet. Hoc et alibi valet et in tragoedia. Quae igitur in Sophoclis dramatibus proponuntur facta et fata, ex utriusque generis causis oriuntur. Quae autem ipsa in fabula aguntur, ii, qui inducuntur personae proxime sibi imputanda habent. Spectatores certe mala, quae in scena agi vident, primo loco iis imputent necesse est, quos agentes conspiciunt. Quin etiam plerumque in Sophoclis fabulis ipsi auctores malorum quibus plectuntur, causas nesciunt praeter eas, quae in ipsorum animis sitae sunt. Quo fit, ut majore afficiantur dolore.

Ex Nagelsbachii sententia res, in quibus personae dramaticae versantur, quum fabula ipsa incipit, fato debentur; quae autem in scena geruntur, aut modo gesta narrantur,

libero hominum arbitrio, quatenus aut fieri aut non fieri poterant. Sunt tamen, me judice, quae huic sententiae adversantur. Primum, de utroque poeta, Aeschylo et Sophocle, profecto non idem statuendum. Tum, quae in fabulis tamquam antea facta narrantur, horum profecto fatum non unicus auctor est. Ubique in quovis facto utriusque generis causae agnoscuntur. Verum in eo cum Nagelsbachio facio, quod censet apud Sophoclem, quae in ipsa fabula aguntur, nec fato, nec diis intervenientibus, potius quam hominibus tribuenda esse. In Aeschylo autem longe alia ratio est. Fortunae summa in Sophoclis fabulis penes homines. Hominis cujusquam error tamquam cardo est, in quo tota fabula vertitur. Poeta in prologo narrans, quae antea gesta sunt, errorem illum ostendit ita, ut spectatores non jam lateat, quae perniciei, ad quam properat, causa sit. Crescit deinde atque augetur ille error; donec tandem homo, miser jam factus, suae culpae conscius fit.

Nihil hujusmodi apud Aeschylum. Partes hominum apud hunc sunt fere nullae. Non facile quis heroum, quos Aeschylus celebravit, animi lineamenta exprimat. Ita enim a diis et fato reguntur, ut animantes quidem sed vix homines eos dixeris. Dii apud Aeschylum omnia perpetrant. Haud absurde doctissimus Franco-Gallus Patin [1]) Aeschyli tragoediam *divinam*, Sophoclis *humanam* dixit. Lubet viri verba laudare (leguntur, p. 37. th. 1): „*Quelquefois (plerumque*

1) *Etudes sur les Tragiques Grecs*, par M. PATIN de l'academie française deux. ed. Paris. 1858.

dicere potius debebat) *les personnages d'Eschyle se laissent emporter à des actes d'une cruauté forcenée, sans qu'on puisse voir bien clairement, s'ils obéissent à la violence de leurs passions ou à l'impérieuse volonté du destin. Quoi qu'il en soit, leur liberté morale semble entraînée: son Oreste, sa Clytemnestre se disent eux-memes poussés vers les crimes par une main invisible et toute-puissante.*"

Quales hominibus in suis tragoediis Euripides partes tribuat, postea videndi locus erit. Quum igitur indoles et animus, quo sunt personae tragicae in causis sit malorum, quibus conflictantes inducuntur, jam animi ille statu qualis sit, exponere conemur.

Graeci indicant hunc statum vocabulo *ἄτη;* quo tamen *culpam* quoque significant et *perniciem*, quam, qui illo animo sunt, sibi consciscunt. De hujus vocabuli historia et variis ejus notionibus pauca accuratius disserere necesse est.

Apud Homerum locus est palmarius ad naturam *ἄτης* declarandam: Iliad. XIX, vs. 60 sqq. Aten hoc loco seniorem Jovis filiam vocat, cui molles sunt pedes, quippe quae non humi consistat sed hominum capita circumvolet. Hanc exitialem deam Agamemnon eodem loco narrat, ipsum Jovem aliquando decepisse, quum hic dixisset fore, ut ille, qui ipso, quo loqueretur, die in lucem proditurus esset, omnes accolas imperio suo teneret; Juno vero, Dea pronuba et quae parturientibus adest, ut Eurystheus ante Herculem nasceretur, fecisset. Jupiter tum Aten de Olympo jecisse narratur, ne unquam eo rediret. Qua re indicare videtur Homerus, Deos,

semel ab illa deceptos, posthac ejus immunes esse, et miseros tantum homines ejus fallaciis relictos esse.

Agamemnon igitur hujus rei mentionem facit, ut se ipsum culpa purgaret, quod antea Achillem injuria affecisset, cujus injuriae nunc eum poeniteret. Hujus igitur facinoris culpam in Aten transfert. Ate est igitur illa vis, qua hominum animus in errorum inducitur, ita ut tamquam vertigine capti falsam speciem pro vero commodo arripiant. Haec prorsus conveniunt iis, quae passim apud Homerum legimus. Si quis imprudenter magno suo vel amicorum damno aliquid egit, huic a deo tale consilium injectum dicitur, v. c. Iliad. libr. 6. vs. 234 sqq., ubi Glauco Jupiter sanam mentem abstulisse dicitur, quod auream loricam aenea permutasset. Iliad. libr. 17, vs. 469 sqq. ex Automedonte quaeritur, quis tandem deus consilium demens menti injecisset, quod solus Trojanos curru quidem persequeretur, non vero interficeret.

Pindarus in primo Olympiorum carmine (v. 90) Tantali poenam, qua ob superbiam afficitur, *ἄταν* dicit, quippe quae consistat saxi capiti impendentis et lapsum minitantis formidine, quod saxum frustra semper a capite amoliri studeat. Postquam in Pythiorum carmine III idem poeta narravit Aesculapii matrem Coronidem ab Apolline jam gravidam factam, cum Ischye concubuisse, hunc mentis errorem *ἄταν* vocat: vs. 42.

ἀάταν τοιαύτην ἔσχε [1]).

---

1) Ex eo, quod Olymp. I, vs. 89. *κόρῳ δ' ἕλεν ἄταν* dicit, fortasse con-

Quocum conferas, quod supra dicitur:

ἀδ' ἀποφλαυρίξαισα νιν

ἀμπλακίαισι φρενῶν. . . .

id est, contempto Apolline, se errore mentis abduci passa est.

Tertio loco [1]) Argorum incolae ad Aten properasse dicuntur, quod bellum suscepissent in Thebas una cum Polynice, licet Jupiter monstris ac portentis iter hocce infaustum fore declaravisset. Unde hoc conficimus: *ἄταν* Pindaro esse causam, quae in ipsis sita, homines adducat ad impia, saltem auctoribus aliisve exitialia facta, tum vero etiam calamitatem inde ortam. Verbo dicam: *Ἄτη* est mens cupiditatibus obcaecata, vel errore quodam misere agitata. Prorsus eadem significatione apud tragicos imprimis apud Sophoclem vox *ἄτη* occurrit. Notiones igitur variae huic vocabulo subjectae sunt, prima *mens perturbationibus concitata*: altera *factum in tali animi statu perpetratum*; tertia, quae huic vocabulo subest, notio est *calamitas*, cujus causa proxima mentis perturbatio est. Denique (quum jam *ἄτη* opponatur iis, quae non in ipso sita, hominem in malum inducant,) *culpa* est. Nonnullis locis non refert, utrum hanc an illam urgeas significationem; interdum quoque ita ponitur, ut plures simul inesse videantur notiones. Jam nonnulla afferamus loca.

---

jicias Pindarum in verbo *ἆσαι* (satiare), non vero in *ἀάσασθαι* (laedere) nominis *Ἄτη* etymon quaesivisse: *κόρος* enim non modo *insolentiam*, sed proprie *satietatem* significat, quae Tantalo optime convenit Deorum epulas fastidienti.

1) Nem. Carm. IX, vs. 49.

Electra in fabula cognomine prodit largos effundens fletus, deorumque justitiam in maleficos invocans. Quum luctibus, odio, acerbitati nimis indulgere choro videatur, hic illam non satis secum reputare canit (vs. 214):

ἐξ οἴων (ἀτῶν)

τὰ παρόντ' οἰκείας εἰς ἄτας

ἐμπίπτει οὕτως αἰκῶς.

Jam illud *οἰκεῖαι* (*propriae*, opponuntur *ἄταις* Clytemnestrae atque Aegisthi) *ἆται* reddi potest vocabulo *culpa*. Nimirum Electra in culpa est, quod modum luctus ac tristitiae prorsus excedit. Quo se excuset, Electra monet (vs. 236):

καὶ τί μέτρον κακότητος ἔφυ;

Quae autem dicit (v. 223):

οὐ σχήσω ταύτας ἄτας

ὄφρα με βίος ἔχῃ.

Vertenda sunt: hosce immoderatos luctus non continebo, donec mihi vita suppeditat.

Creon (Antig. vs. 1096) quum dubius haeret, sitne cedendum Tiresiae verbis, necne: cedere, inquit, ignavi est; *ἀντιστάντα δὲ* (sin relucter) *ἄτῃ πατάξαι θυμὸν, ἐν δεινῷ πάρα*, ne mihi ipsi noceam *pertinacia*, timendum est.

Ajacis furor saepius *ἄτη* dicitur. Minerva enim auxit modo animi ejus perturbationem jam pridem existentem. Ex superbissimo, ferocissimo, a Dea furens factus est. Furoris illius imprimis ipse animus ferox auctor est. vs. 911 Aj. *ἄτη*, *culpa* chori in eo sita, quod dominum minus diligenter custodivisset.

Ate *culpa* quoque est, Antig. vs. 257:

καὶ μὴν ὅδ' ἄναξ αὐτὸς ἐφήκει
μνῆμ' ἐπίσημον διὰ χειρὸς ἔχων,
εἰ θέμις εἰπεῖν, οὐκ ἀλλοτρίαν
ἄτην, ἀλλ' αὐτος ἁμαρτων. —

Plura citare non opus est. Fere ubique notio culpae subest huic vocabulo; ubi igitur hujus notionis nullum exstat indicium, ibi minus propria adhibitum esse hoc vocabulum censemus; v. c. Electra vs. 936, et 1298. Antig. 158. Philoct. vs. 705. Oed. Col. vs. 165.

Quodsi jam constat animi perturbationem *ἄτην* dici, ex re nostra erit, paulo accuratius exponere hujus *ἄτης* naturam, qualem eam in heroibus suis finxerit Sophocles, ac dein nonnulla disserere de humanarum ac divinarum partium conciliatione.

In Sophoclis tragoediis, qui primas partes agunt, imprimis sunt *παθητικοί*. His opponuntur *οἱ σώφρονες*, vulgo secundarum partium actores. *Τῇ ἄτῃ* opponitur igitur *ἡ σωφροσύνη*. Qui enim primas partes agunt, non quidem sunt *ἀσεβεῖς*, sed carent animo modesto. Ipsa *εὐσέβεια*, quae non est constans animi status, sed in singulis factis et verbis continetur, quum abest *σωφροσύνη*, cum ate conjuncta est. Hujus rei Antigones et Electrae exempla afferimus. Neque *ἄτη* est, quod nos Christiani *ἁμάρτημα* nuncupare solemus. Non enim est animi status prorsus perversus, nec perpetuus animi morbus, nec indoles ad prava malaque semper conversa, sed perturbatio quaedam, quae aliquamdiu prohibeat, quominus mens recte sapiat. Ipso

verbo *ἁμαρτάνειν* et *ἁμαρτία* apud Sophoclem certum quoddam factum indicatur. Nulla enim notio exstat apud Sophoclem naturae humanae a pristino puriore statu ad deteriorem delapsae. Hesiodus auream aetatem canens credi potest, hominum ingenia ab honesto rectoque in pravum paulatim conversa esse, indicare; sed talium traditionum in Sophocle nullum exstat vestigium. Nihilominus *ἄτη* in cunctos homines aliquando ingruit. Hinc variis locis *ἄτη* omnibus hominibus communis dicitur, e. g. Antig. vs. 613.

οὐδὲν ἕρπει
θνατῶν βιότῳ πάμπολις ἐκτὸς ἄτας.

vs. 1013:

ἀνθρώποισι γὰρ
τοῖς πᾶσι κοινόν ἐστι τοὐξαμαρτάνειν.

Jam si de ate tamquam *culpa* agimus, audiendus est Lübkerus monens: „Es ist die Beziehung des Thäters zu seinem Vergehen [1]." Quam sententiam ita immutatam velim, ut ate definiatur: ratio, quae est inter eum, qui injuriam infert, et eum, cui infertur injuria. Diis autem *διὰ τὴν ἄτην* injuria infertur. — At haec sunt altius repetenda. — Diis, ut est in antiquissimo effato, omnia ea invisa sunt, quae nimis elata modum hominibus praescriptum aliqua ex parte superant. Illud placitum et alibi et imprimis in Herodoto reperias, qui Solonem inducit dicentem: *τὸ θεῖον πᾶν φθονερον* [2]). In Aeschylo quoque deo-

[1]) LÜBKER, die Sophocleische Ethik und Religion. 1ste H. p. 63.
[2]) HEROD. I. 32, III. 40, cf. VII. 46, PLATO. Phaedr. 2, 39a.

rum *φθόνος* saepe memoratur [1]). In Persis praecipuum argumentum deorum invidia est, quam Xerxes magnificentia atque superbia sua sibi conflaverat. Cujus invidiae divinae luculentissimum habemus in Aeschyli trilogiae Oresteiae fabula prima exemplum hoc. Postquam Agamemnon domum rediit, maximis honoribus eum afficere conatur Clytaemnestra. Purpureas vestes humi sternit, qua illi incedendum est. At ille, ne barbari regis instar divino honore illum colat, monet (vs. 921):

μηδ' εἵμασι στρώσασ' ἐπίφθονον πορον τίθει.

Postquam vero Clytaemnestra precibus eum usque adeo fatigavit, ut jam vestes illas calcet, nondum metum deponit omnem, nam (vs. 944):

ἀλλ' ει δοκεῖ, inquit, *σοι ταῦθ, ὑπαί τις ἀρβύλας*
λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός,
ξὺν τοῖςδέ μ' ἐμβαίνονθ' ἁλουργέσιν θεῶν
μη τις πρόσωθεν ὀμματος βάλοι φθονος. —

Ex his, ni fallor, *φθόνος* divinus, qualis exstet in Aeschylo, dilucide patet. Hujusmodi quid in Sophocle quoque invenitur. Sed longe aliae neque externae res sunt, quae apud hunc deorum invidiam movent. Nimirum illud *ἄγαν*, quod deos offendere dicitur apud Sophoclem, non in divitiis, luxuria, gloria, aliis positum est; vero mores hominum sunt, qui si modum excedunt, divinum odium incurrunt. *Πάθη* cum *ate* conjuncta eatenus deos offendunt, quatenus mentem vehementius, quam pro hominis imbecillitate commovent; et *οἱ παθητικοὶ* hoc habent diis exosum, quod suorum fatorum regimen penes se esse arbitrantur. Luce clarius hoc apparet ex iis, quae leguntur in Trachiniis vs. 472. Quum enim Dejanira, summa modestia usa, de Herculis amore in Iolen locuta est, Lichas eam laudans *ἐπεί σε*, inquit, *μανθάνω θνητὴν φρονοῦσαν θνητά, κοὐκ αγνώμονα, πᾶν σοι φράσω τἀληθές* .... *Θνητά φρονεῖν* igitur idem valet, quod *sibi temperare*; *τοῖς πάθεσιν indulgere* est *μὴ καθ' ἄνθρωπον φρονεῖν.*

[1]) AESCH. Agam. vs. 434, 700, 842, 864.

Jam *modum humanum excedere* injuria diis illata habenda est. Hanc ob causam saepissime in Sophoclis tragoediis *οἱ σώφρονες* monent *τοὺς παθητικοὺς* ne sint *περισσοί*. Electram vs. 152 Chorus monet:

οὔτοι σοι μούνᾳ, τέκνον,
ἄχος ἐφάνη βροτῶν,
πρὸς ὅτι σὺ τῶν ἔνδον εἶ περισσά....

Tr. 614 *περισσὰ δρᾶν*. Ant. v. 776 *πόνος περισσός ἐστι τὰν Ἅιδου σέβειν*. Ant. v. 86 *το γάρ περισσὰ πράττειν ουκ ἔχει νοῦν ουδένα*. Aj. vs. 758:

τὰ γὰρ περισσὰ κἀνόητα νωματα
πίπτειν βαρείαις πρὸς θεῶν δυςπραξίαις
ἔφασχ', ὁ μαντις. ὅστις ανθρώπου φύσιν
βλαστων, ἔπειτα μη κατ' ἄνθρωπον φρονεῖ.

Ant. vs. 1350:

.... *μεγάλοι δε λογοι*
μεγάλας πληγας τῶν ὑπεραύχων
ἀποτισαντες,
γηρα το φρονεῖν ἐδίδαξαν.

Ate interdum cernitur in hominibus, praeclarissimis ingenii dotibus praeditis. Antigones, verbi causa, eximia pietas ex summa animi magnitudine et fortitudine provenit. At ipsis illis animi dotibus fit, ut acerbior ac durior sit in eos, qui, quum aeque magna fortitudine careant, *τὴν Εὐσέβειαν* colere, spretis hominum decretis, non polleant, eamve contemnant et violent. Ajaci studium antecellendi omnibus et alieni auxilii contemptio summae laudi habenda sunt; hoc solum in eo offendit, quod virum fortissimum eo superbiae ducit, ut deorum laedat numina. Sic quoque in Electra summa pietas laudanda, nimia tristitia vituperanda est. Etiam Dejanira facinus illud minus cautum committit ira ceteroquin satis legitima ducta, quum aegre ferat, quod pellex secum iisdem in aedibus habitatura sit. Simultates, quales in Philocteta conspicimus, ex nostra quidem cogitandi ratione non probandae sunt, apud Graecos miti admodum judicio gaudebant. Ne Oedipus quidem prava est indole. Animo est imprudentiore, at malis studiis et vilibus cupiditatibus prorsus vacat. Caedes enim ignoti hominis servorumque ejus in via, non ex nostra cogitandi et sentiendi ratione judicanda est. Ignotus ille superbia in Oedipum usus erat. Jam apud Graecos in virtutibus ponebatur, ut beneficiis amicos ita hostes injuriis superare Vitam nonnullorum servorum non magni fieri etiam inde patet, quod a Minerva in pecudes Ajax immittitur, nec non in earum custodes. Jam nulla porro mentio caedis custodum fit; verum quod in bestias insanus saeviisset, crimini maximo Ajaci ducitur.

Quas ob causas *ὕβρις* probe secernenda est ab ate.

Ὕβρις species quidem est *τῆς ἄτης*, verum ex cupiditatibus originem ducit.

Utrumque vitium et *ἄτη* et *ὕβρις* deos offendit; notio culpae utrique subest; inde permutantur interdum haec vocabula; verum animus nocendi in illo numquam, in hoc semper cernitur. Ideo Creon in Oed. Col. *ὑβριστής* est, quod sui commodi causa filias Oedipi abducere conatur. Eadem de causa Clytaemnestra atque Aegisthi scelera non ad *ἄτην* sed ad *ὕβριν* vulgo referuntur; nam pravo ducti amore agunt. Jocaste quoque *ὑβρίζει*; nam, licet deorum potentiam agnoscere jam coeperit, superbia ac levitate sermonis Oedipi animum de vero detrudere conatur. *Ὕβρις* igitur non in *πρωταγωνισταῖς* conspicua est; quod si fieret, spectatorum *ἔλεος* valde imminueretur, *φόβος* vero (quod vocabulum LESSINGIUS recte vertit: *auf uns selbst bezogenes Mitleid*) nullus esset, quum nemo timeret, ne in tam impia facinora aliquando ipse incideret.

Ceterum in eo quoque discrimen a poeta observatur, quod *νέμεσις* sequitur *ὕβριν*; quum *ἄτης* poena eodem vocabulo *ἄτη* significetur. Recte igitur Lübkerus discrimen inter has voces idem esse statuit, quod inter voces *culpam* et *dolum*.

Quum jam constet partes humanas in rebus a tragicis propositis non fuisse nullas, quaeritur, quomodo illae et actio, quae diis tribuitur, inter se congruant. Hanc ipsam quaestionem supra jam paucis attigimus. Vidimus nempe, si Aeschylo Sophoclem comparas, hunc primum partibus satis gravibus hominibus ipsis tributis ad augendam volup-

tatem tragicam usum esse. Verum Euripidem si spectamus, non possumus non agnoscere novam quandam rationem. In Sophocle *τὰ πάθη*, ut vidimus, in hominum fatis regundis si quid valent, non multum valent: nam si homines non eodem ducunt, quo duci eos aliunde necesse est, immutantur eorum studia interventu deorum, quod Philoctetae exemplo planum facere conati sumus. Praeterea, licet hominum libertatem, quae dicitur moralis, *τοῖς πάθεσι* frangi necesse sit, nusquam illa libertas negatur. Praeclare Patin [1]): *les drames de Sophocle, quoiqu'ils nous reportent également à cette époque reculée, nous présentent une image plus pure et plus noble de l'homme; il y paraît plus dégagé des liens d'une sensibilité brutale ou d'un ignorant fanatisme: au milieu des passions violentes qui le sollicitent et l'entraînent, des croyances monstrueuses qui le préoccupent et l'égarent, il conserve toutefois la conscience de sa liberté: il sent qu'il est l'arbitre de ses déterminations, que ses actes lui appartiennent.*

Apud Euripidem contra, sola *ἄτη* homines regit. In ejus accurata descriptione tota versatur fabula. — Apud Aeschylum sola numina divina Clytaemnestram ad maritum interficiendum ducunt; apud Euripidem Phaedra item invita incesto flagrat amore, nec non Medea liberos suos trucidat. At apud hunc non dii sed animus perturbatus homines ad scelus ducunt.

---

[1]) In opere citato, t. I, p. 38.

Egregie profecto de ate egerunt Platnerus et Lübkerus. Nihilominus in nonnullis ab iis dissentire audeo.

Platnerus monet haecce: „*Die ἄτη, als perturbatio mentis, wird nun hin und wieder in die Gemüthsbeschaffenheit des Thäters verlegt, so dass diese einzige Quelle der Unthaten ist. Die Ate in dieser Gestalt, in ihrer Abstammung aus den innern Zuständen, unterscheidet sich von der Bethörung durch die Götter, welche von aussen kommt und in das Innere eindringt, so das man wohl die Ate nicht slechthin in allen Gestalten mit der gedachten Bethörung identificiren kann.*

Platnerus itaque duplicem aten admittit, alteram, quae constet perturbatione sanae mentis, *τοῖς πάθεσιν* attribuenda; alteram, quae a diis animis hominum injiciatur.

Lübkerus voce *ἄτη* deam quandam significari putat: haec ejus sunt verba: *Allerdings hat aber die ἄτη, die beim Homer fast mehr als blosse Personification erscheint, sich beim Sophocles schon mehr in ein wirklich persönliches Wesen eingesetzt* etc.

Nihilominus non credimus apud Sophoclem *ατην* umquam Deam esse, et quidem propterea, quod nusquam huic vocabulo adjunguntur epitheta, quae formam vel indolem deae indicent. Quin etiam nulla omnino adduntur adjectiva, nisi quae animi motibus addi solent, ut *ἄτη κακή, ἄτη δολία*; quibuscum conferre in promptu est Sallustianum illud *ambitio mala*. Tum quoque aten a Sophocle ut deam esse propositam negamus, quod numquam apud eum conjunctim nominatur cum Dice vel *μοῖρα*, quae extra hominem existere

credebantur [1]; *ἄτη* contra conjungitur cum dolore, luctu, morte, caeteris.

O. R. v. 1282.

νῦν δὲ τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ
στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη· κακῶν
ὅσ' ἐστὶ πάντων ὀνόματ', οὐδέν ἐστ' ἀπόν.

Neque assentiri possumus Platnero, putanti *ἄτην* a diis apud Sophodem nonnumquam hominibus injectam dici. Satis multa profecto loca ejus sententiam confirmare videntur. In Antigone enim Chorus Labdacidarum malorum recordans in has voces erumpit (vs. 621):

σοφίᾳ γὰρ ἔκ του
τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν
τῷδ' ἔμμεν' ὅτῳ φρένας
θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν.

Creon, quum facti jam eum poenitet, culpam in deam transfert (v. 1272):

ἐν δ' ἐμῷ κάρᾳ
θεός τότ' ἄρα τότε μέγα βάρος μ' ἔχων
ἔπαισεν, ἐν δ' ἔσεισεν ἀγρίαις ὁδοῖς.

Ajax a daemone convitia, quibus Graecorum principes petit, doctus esse dicitur.

A fero daemone Laius interfectus est. Quis deorum, ait Chorus vs. 1342, Oedipum incitavit, ut oculorum usu se privaret? Licet plura hujusmodi loca laudari possent, nihilo-

---

[1] Apud Aeschylum contra *ἄτη* dea est, et cum Diis simul citatur. e. g. Ag: vs. 1366. Choeph: vs. 60.

minus ea omnia ad ipsos homines referenda esse credimus. Quod autem multi dixerunt et probare conati sunt, haec omnia explicanda esse ex cogitandi ratione et animi conditione eorum, qui in scenam ducuntur; ipsius autem Sophoclis mentem iis non exprimi, hoc equidem omni ex parte affirmare non ausim. Licet enim personarum, aetatis, indolis, rerum rationem habeat Sophocles, tamen quae ipse sentit, dilucide profert. Loca igitur illa, quibus dii hominum mentes perturbare dicuntur, sic interpretanda mihi esse videntur, ut statuas Sophoclem se ad popularem loquendi rationem ita accommodasse, ut facile, quod ipse poëta sentiret, inde eliceret quicunque plebe paullo doctior esset. At non solas loquendi formulas retinuit, sed etiam ipsa placita, licet paullulum mutata et exculta. Excoluit enim ea, ita ut liberali mente magis congruentia reddiderit. Sic Sophocles quoque a deo homines ad aten duci optime dicere potuisse videtur, quum *διὰ τὴν ἄτην* deorum voluntas saepe rata fieret; quumque per aten se justa poena saepius ipsi afficerent mortales. Nihil naturae magis conveniens, quam quum per illam *ἄτην* efficiatur, quod diis imprimis tribuitur, nempe malos puniri, deorum praesenti numine hoc factum esse existimare. Sic nos quoque, quae subito in mentem veniunt, a diis monita, imperata, praedicta dicere solemus. Creon quidem, qui a Deo ad insaniam ductum se esse modo contendit, mox gravissimis criminibus se ipsum accusat. Sic quoque licet a deo Labdacidarum genus ad *ἄτην* duci dicatur, Antigonen *αὐτόγνωτος ὀργή* perdidit, Chorus canit. Ipse vero Platnerus alio loco sic

statuit: *Die Einwirkung der Götter auf die menschlichen Schicksale ist von doppelter Art, entweder eine unmittelbare oder nur mittelbare.* Hujusmodi igitur locis, quibus **θεοί**, **θεός**, **δαίμων** memorantur, nullo addito nomine proprio vel adjectivo, neque articulo, haec nomina, sensu quam latissimo sunt accipienda, et de eo deorum interventu intelligenda sunt, qui humanum arbitrium et liberam actionem non tollat. Eo sensu imprimis vocabulum **δαίμων** legitur, de quo jam paucis videamus.

§ 2. δαιμων.

Vocabulo **δαιμων** recte Lübkerus statuit subesse tres notiones:

1° articulo apposito, certus quidam deus est, ut in Oed. Col. vs. 706, ubi *ὁ μέγας δαίμων* Neptunum indicat.

2° nomen collectivum est, continens omnia, quae in humana fata vim aliquam habere videntur, i. e. *humanum arbitrium, rerum externarum status, res externae, leges morales a diis vindicatae.*

3° *hominum sors.*

Hoc tamen addendum. Saepissime occurrit eo sensu, qui secundo loco a Lübkero memoratur, verum ita, ut humanum arbitrium prae caeteris in censum veniat, ut est in O. R. vs. 1300:

τις ο πηδησας [1])

[1]) Fortasse lectio praestat:

τίςτ' ὁ 'πιδήσας (a verbo *ἐπιδέω* alligo)

quae si probatur, versio aliter se habebit.

μειζονα δαιμων τῶν μακίστων

πρὸς σῇ δυσδαίμονι μοίρᾳ.

i. e quis **δαίμων** longe horribilissimo modo infortunio tuo insultavit, scil. quod ipse caecitate tua mala cumulasti. Paucis locis exceptis. In Electra, vs. 999, 1156. Ajace, 504, ubivis partes humanae in fatis suis regundis prae caeteris hoc vocabulo significantur. Verum quum postea omnes mentis humanae facultates numina divina paullatim factae sunt; **δαίμων** quoque genus factum est deorum, qui hominem per totam vitam sequerentur et tuerentur aut in mala ducerent. Quin etiam bini daemones hominibus adesse crediti sunt. — Apud Sophoclem autem nihil ejusmodi.

§ 3. Ἐρινύς.

Quodsi quis dubitat, num jure Erinyn hoc capite tractemus, quum melius ad alterum causarum genus referatur, concedimus quidem Erinyas ut per se existentes proponi. Lucus enim earum in Oedipo Coloneo memoratur; Erinys Hectoris gladium, quo mortem sibi conscivit Ajax, fabricata esse dicitur (Ajac. vs. 1137). Erinyes (Trach. vs. 1030) vestem texuerunt, quae Herculi donum letiferum esset.

At vero, licet deae quidem habendae sint, notio tamen moralis iis subesse videtur [1]). Et sic quidem ut tamquam imagines sint furoris alicujus, qui interdum hominum men-

[1]) Mittimus nunc quaestionem, utrum notio moralis prius sit, an posterius. Hoc constat, vires naturae quoque illarum nomine ac persona celebrari. Videantur, quos laudat PLATNER, pag. 152.

tes occupat. Saepe enim ipse ille furor nomine Ἐρινύος significatur, ut Antig. vs. 597, Electr. vs. 269 [1]). Hoc igitur cum *ate* commune habet Erinys. Quam ob causam in hoc capite de Erinye agere statuimus.

Videamus igitur quaenam iis sint propria.

Ubique fere Erinyes, si qua scelera commissa sunt, aut perpetuo adsunt vindices, aut longo tempore intermisso in improbos irruunt [2]). Voluit itaque LÜBKERUS [3]) illarum persona ac nomine vim eam celebrari, qua animus culpae conscius vexari solet. Sed tum statuendum est, Sophoclem Furiarum notionem aliter animo concepisse et proposuisse, ac caeteri fecerunt tragici. Cur enim ab Aeschylo et Euripide a Furiis exagitatus fingitur Orestes, cujus quidem animus culpae conscius esse non potuerit, quippe qui et ex Graecorum sentiendi ratione officium secutus sit, et peculiari Apollinis jussu egisse dicatur? — At ne in Sophocle quidem talis hujus vocabuli interpretatio omnibus locis expediret. Volo e. g. vs. 275, Electra,

ἡδ' (Clytaemnestra) ὧδε τλήμων ὥστε τῷ μιάστορι
ξύνεστ', Ἐρινὺν οὔτιν' ἐκφοβουμένη.

Quî tandem aliquis dici possit *non timere ne animo culpae conscio vexetur?* Nam si Clytaemnestra tale quid timeret, angor ille, qui scelus aliquando sequi solet, jam adesse de-

—

1) LÜBKER, pag. 61, *„das zwischen Eigenschaft und Persönlichkeit schwankende Wesen der Erinyen."*

2) μνήμων ἐρινύς dicitur, Ajac. vs. 136.

3) Pag. 61.

buisset. Ἐρινὺς φρενῶν vero, quae Antigonae mortis causa exstitisse dicitur, aegritudo talis, qualem Lübkerus vult, omnino esse non potest.

Equidem credo multo latiore sensu accipiendam esse notionem τῶν Ἐρινύων. Est enim, nisi longius a vero aberravimus, furor quivis, qui animis hominum insidet, quum maxima flagitia, caedem, incestum, violati hospitii scelus, raptum, vel quodvis denique facinus nefarium cogitat, commissurus est, perpetrat aut jam peregit. Immo omnem hominem Ἐρινὺς ducit, qui caedem committit, licet justis causis eam inferre credatur. — Idem hic furor etiam post perpetratum scelus adest, immo vehementior fieri solet. Accedunt angores animi culpae conscii. — Ipse furor ille, quo rapitur, homini flagitioso poenae loco est. — Hinc Furiae, tamquam deae, caedium imprimis vindices

Ab *ate* igitur non nisi gradu differt Ἐρινύς. Perturbatio mentis est vehementior, culpa gravior, poena magis horrenda. Verum *ate* ex medioeri vitio, Erinyes plerumque ex pravis cupiditatibus oriuntur. Διὰ τὴν ἄτην inviti ad caedes interdum adducuntur mortales; ipsi caedem expetunt, qui Ἐρινὺν animis conceperunt. Erinys igitur, tamquam perturbatio mentis, non est solus ille angor animi culpae conscii, nec credendum est, Erinyes, tamquam deas, nullo alio munere fungi, nisi illos angores immittendi. Omnia, quae sive caedes, sive alia immania provocent, ad munus Ἐρινύων referenda sunt [1]). Hanc ob causam Erinys gladium fabri-

—

1) Ne tamen quis putet, hoc repugnare iis, quae infra monebimus, de stu

cata esse dicitur, quo Hector et postea Ajax periit, eademque vestem texuisse, quae veneno suo Herculem interfecit. Prorsus eodem sensu una cum Oreste et Pylade Clytaemnestrae domum intrasse dicuntur (vs. 1386 sqq.)

μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων ἄφυκτοι κύνες.

Clytaemnestrae enim animi angor hic fere nullus est, propterea quod subito opprimitur atque interficitur. Jam quoque intelligitur, quare in Antigone **Ἐρινὺς φρενῶν** dicatur, ubi fortasse *ἄτη* exspectaveris. Est enim efficacior dicendi modus. *Orci* denique **'Ερινύες** dicuntur ideo, quod ii, qui caedibus succubuerunt, in orco degunt, et inde interfectoribus suis, dum vivunt, mala imprecantur. Arctiore tamen sensu *ἐρινύς* legitur Electrae vs. 276, quo Clytaemnestra nullam deorum vindictam timere dicitur. Hoc sensu *θεῶν ἐρινύες* dicuntur, Trach. vs. 1020, et ab Ajace vs. 136 invocantur.

Haec tamen omnia non Sophocli soli propria sunt. Aeschylus enim in Eumenidibus, nec non Euripides in Oreste Orestem a Furiis exagitatum finxerunt, nullo modo angoribus animi ob facinus crudelius excitatum, sed quia naturae conveniens erat, filium, matre interfecta, licet patrem ultus et ab Apolline jussus esset, horrore quodam graviori exagitari et plane confici.

Restat, ut paucis moneamus de partibus, quas in Oedipo Coloneo Erinyes agant. Fallitur, ni ipse fallor, Lübkerus

---

dio illo SOPHOCLIS, ut deos praesertim justos fingat. Nam *'Ερινύες* id tantum administrant, quod aut dii, aut fatum voluit.

statuens Eumenides, quae Oedipum luco suo excipiunt, non prorsus esse easdem, quae alibi scelera persequi dicuntur. Nominantur quidem **δεινῶπες** ab ipso Oedipo, qui salutem apud eas assecuturus sibi videtur; hospes quidem **τὰς πάνθ' ὁρώσας Εὐμενίδας** eas nuncupat; addit vero *„hujus regionis incolae hoc nomine appellant has deas."* — Id, quod omnia cernant, et alibi aliter nominentur, nos, ni fallor, adducit, ut de deabus prorsus iisdem cogitemus. Et praeterea non casu accidisse credo, quod Sophocles finxerit Oedipum in hoc potissimum luco requiem consequentem. Nimirum furor ille, quo abreptus patrem nescius interfecit sibique ipsi oculos effodit, etsi quodammodo per *aten* potius quam per *ἐρινύν* immissus videatur, ad graviores animi perturbationes referendus est. Itaque in luco illarum dearum, per quas diu exagitatus esset, sperata salute tandem potitur. Hoc nimirum multum valet ad tragicam vim augendam.

CAPUT II.

Δίκη, Ζεύς, μοῖρα.

§ 1. Δίκη.

Jam agendum est de altero causarum genere extra hominum animos positarum. Plures sunt et diversae. Non enim deorum tantum hîc ratio habenda est, et tria quidem numina varia et diversa enumerari posse videntur. Verum recte ea distinguere eorumque mutuam rationem rite definire difficile est. Neque mihi soli gravius hoc esse videtur, sed doctissimi viri, qui de his rebus egerunt, inter quos Lübkerum, Welckerum, Platnerum, Krausium primos cito, idem, quod ego, experti sunt. Nihilominus multa definire et distinguere voluisse videntur, quae accurate definiri et distingui vix posse credendum est. Neque est quod miremur. Quaecunque ad deorum cultum et omnino ad sacra externa pertinebant, apud Graecos certis legibus erant adstricta, quae ut rite observarentur, sacerdotes erant, qui curarent. Tum vero magistratus, qui quominus eorum ratio mutaretur

prohiberent. Sed theoretica religionis pars, quae sententiis de deorum actione in res humanas constat, plane libera erat relicta. Modo ne quis deorum naturam ita explicaret, ut vulgares de diis opiniones evertere videretur. Quod fecit Anaxagoras, qui propterea impietatis accusatus e patria exulavit. Sed si hoc excipis, licentia quaedam obtinebat et fieri debuit, ut diversissime diversi homines de rebus divinis sentirent. Neque aliquis antiquorum scriptorum id egit, ut ordine et ratione populi de diis dogmata explicaret et theologiam quandam popularem in doctrinae rationem redigeret. Simul ac de diis sanae rationi convenienter statuere inchoabant, statim religionem deserebant et philosophi evadebant. Qui secuti sunt, philosophi ethici religionis vix ullam rationem habuerunt, nisi quod mythologia tamquam fonte utuntur, unde exempla ad illustrandas suas sententias petant. Quo factum est, ut opiniones vulgi de rebus divinis stabiles nullae fuerint. Qua in re conferendum est, quod sacerdos ille Aegyptius apud Platonem Soloni dicit, Graecis exprobrans, quod iis nulla esset antiqua opinio, traditione nixa, neque disciplina temporum canitie venerabilis [1]).

Labente tempore novae sententiae natae, aliae prorsus obliteratae et oblivione pressae sunt. Soli poëtae popularis illius religionis vates exstiterunt. Hi carminibus ea expresserunt atque illustrarunt, quae in animis vulgi latebant. Verum licet poëtae ingeniorum praestantia cives suos longe

[1]) TIMAEUS, p. 13: οὐδεμίαν ἔχετε δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν.

superarent, eosque emendare, eorumque mentes et ingenia excolere studuerint, tamen ipsi quoque, ut res loquitur, theologiam componere numquam sunt conati. Quid? quod ipsa facultatis et dictionis poëticae natura vetat, notionibus quasi circinis descriptis uti. Neque quod rerum, quas canunt, natura poëtas nonnunquam ita rapit, ut obsoletas jam sententias proferant, magis mirandum est, quam quod nova quaedam placita priscis addant. Nam antiquata una cum recens excogitatis, licet inter se contraria aut diversa saltem, in animis populi vigebant [1]).

Quae etiamsi sic se habent, tamen non est, ut plane deterreri nos patiamur a conatu paulo distinctius explicandi religionis illius popularis origines et naturam.

Causa, ob quam deos colerent Graeci et omnino omnia numina, quae homines potentia superant, apud eos celebrarentur, haec erat, quod pravas actiones poena, bonas et honestas gloria et decus sequi videbatur. Justitia in diis maxime celebratur.

Nisi justas poenas darent malefici nulla jam religio inter mortales vigeret:

---

1) Vid. PLATNER, p. 33: »*manche Aussprüche sind aus dem Wesen der poetischen Diction zu erklären, welche eine gewisse Emphase verlangt und ihre Kraft und Eindringlichkeit verlieren würde, wenn sie, wie die wissenschaftliche Prosa mit Vorbehalten und Einschränkungen sich ausdrücken wollte. Wenn es z. b. bei den Tragikern heisst, die Zeit bringe Alles ans Licht, so ist dies eben so wenig eine absolute Wahrheit, als dem Spruche des Aeschylus (bei Stob. p. 199, ed. H.): τύχα μερόπων ἀρχὰ καὶ πέρας eine unbedingte, ausnahmlose Geltung beigelegt werden kann.*

Exempli gratia laudamus vs. 895, Oed. Rex.

εἰ γὰρ αἱ τοιαίδε (quales regis caedis) *πράξεις τιμιαι*
τί δεῖ με χορεύειν;
ουκ ἔτι τὸν ἄθικτον εἶμι γας ἐπ' ομφαλον σέβων
οὐδ' ἐς τὸν 'Αβαῖσι ναὸν
ουδὲ τὰν 'Ολυμπίαν,
εἰ μὴ τάδε χειροδεικτα
πᾶσιν ἁρμόσει βροτοῖς.

Nisi talia scelera puniuntur, addit Chorus, pessumdentur necesse est *τὰ θεῖα*. Quocum conferas Electr. vs. 249. nisi caedis paternae auctores justas poenas daturi essent,

ἔῤῥοι τ' ἂν αἰδὼς
ἁπάντων τ' ευσέβεια θνατῶν.

Deinde qui *ευσεβέστατοι* esse praedicantur, sunt iidem justissimi.

Electra et Antigone ut pietatis exemplaria pinguntur. Jam Antigone hanc laudem sibi vindicat, quod *justa* persolvisset fratri. Electra et Orestes ob summam pietatem celebrantur, propterea quod patri trucidato justas poenas dari curarunt, nam in officiis erga mortuos praesertim justitia cernebatur.

Audiamus ipsam Electram Chrysothemin adhortantem, ut secum rem suscipiat vs. 973.

λογων γε μην ευκλειαν ουχ ὁρᾷς ὁσην
σαυτῇ τε κἀμοὶ προσβαλεῖς πεισθεῖσ' ἐμοι;
τίς γὰρ ποτ' ἀστῶν η ξένων ημας ἰδὼν
τοιοῖσδ' ἐπαίνοις ουχὶ δεξιωσεται;
ιδεσθε τωδε τὼ κασιγνητω, φίλοι,
ω τὸν πατρῷον οικον εξεσωσατην,

ω τοῖσιν ἐχθροῖς εὖ βεβηκόσιν ποτὲ
ψυχῆς ἀφειδήσαντε προὐστήτην φόνου.

Omnino apud Graecos et Romanos omnia officia nisi quae ad rempublicam conservandam pertinerent, ad justi sensum referuntur. *Δικαιοσύνη* princeps atque primaria virtus habetur. Innocentem esse, corrumpi se non pati, vilium cupiditatum esse expertem uno nomine **τοῦ δικαίου** comprehenditur. Aristides civium Athenarum praestantissimus **δίκαιος** nominatur. Ratio, quae bona et salutaria reipublicae suaderet, apud Aristophanem **δίκαιος λόγος**, quae contraria *ἄδικος λόγος* vocatur. Denique quod nos bonis moribus consentaneum (zedelijk) dicimus, Graecis *δίκαιον* est. Quae igitur numina divina Graeci colebant, praesertim justitia conspicua fuisse necesse est.

Justitia autem cum in scelere puniendo tum in justis cuique solvendis posita est. Odisse malos et justis justa solvere maxima hominum laus est. At deorum justitia in puniendo imprimis conspicua est, nam hominibus nulla debent dii. Jam non mirandum est Sophoclem divinam illam justitiam, quam in scelere puniendo conspicuam fieri diximus, uno nomine et quasi persona complexum esse. *Dicen* volo.

Δίκη saepissime laudatur apud Sophoclem ita, ut incertus sis, utrum Deam habeas, an virtutem quandam.

O. R. vs. 274. haec leguntur:

ὅσοις
τάδ' ἔστ' ἀρέσκονθ' ἥτε σύμμαχος Δίκη
χοί πάντες εὖ ξυνεῖεν εἰς ἀεὶ θεοί.

Hoc versu ita cum diis conjungitur, ut non certo constet, utrum iis annumeretur, an ab iis distinguatur. Sed vs. 853 Antig. mentio fit liminis vel scamni (*βάθρον*) justitiae. Quod facit, ut eam in throno sedentem nobis fingamus. In eadem tragoedia cum diis copulatur, quum **ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν** dicatur; vs. 475 Electr. Dice **προμαντις** (quia somnio Clytaemnestram instantis periculi admonuerat) utraque manu poenas afferens domum intrare dicitur.

Ant. vs. 538:

ἀλλ' ουκ ἐάσει τουτο γ' η δίκη σ', ἐπεὶ
ουτ ηθέλησας ουτ' ἐγω 'κοινωσάμην.

Electr. vs. 528.

η γάρ Δίκη νιν εἷλεν, ουκ ἐγὼ μονη —

Quibus omnibus perpensis certe non tantum *notio* justi videtur. Agendi, prohibendi, monendi facultas ei tribuitur.

Attamen quominus deam eam esse credamus, prohibet indoles ejus et puniendi ratio, quam sequi fingitur, multa alia. Nam si Dice dea esset, quid, quaeso, Jovi relinqueretur, quippe de quo, Justitiae vindice, nihil fertur, quod non item de Dea Dice valeret. Tum si Dice dea esset, ejus arbitrium hominibus suprema lex esse deberet. Quid autem hac in re legitur in Antigone, ubi Antigonen Creontem alloquentem inducit poeta, vs. 450:

ου γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας ταδε,
συδ' ἡ ξύνοικος τῶν κατω θεων Δίκη.
ουδὲ σθένειν τοσοῦτον ῳόμην τὰ σὰ
κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
νομιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
ου γαρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ' αεί ποτε
ζῇ ταῦτα, κ' ουδεὶς οἶδεν, ἐξ οτου 'φάνη.

Cum quibus conferre in promptu est, quae leguntur in Oedipo Rege vs. 863:

εἴ μοι ξυνείη φέροντι
μοῖρα τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων
ἔργων τε πάντων, ὧν νόμοι πρόκεινται
ὑψίποδες, οὐρανίαν
δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος
πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν
θνατὰ φύσις ἀνέρων
ἔτικτεν, οὐδὲ μή ποτε λάθα κατακοιμάσῃ.
μέγας ἐν τούτοις θεός, οὐδὲ γηράσκει

In illis igitur Antigones versibus Dices mentio conjungitur cum legibus humanis mentibus insitis ideoque sanctiore origine et auctoritate pollentibus, quam quaelibet humana principum et civitatium instituta. Quum autem leges existere non possint sine Justitiae divina virtute quadam, qua nitantur, quaeque eas spretas ulciscatur, hanc ipsam legibus insitam virtutem Dicen a veteribus tragicis nominatam esse contendimus. Quod confirmatum videmus in hoc loco, qui legitur O. C. vs. 1377:

εἴπερ ἐστὶν ἡ παλαίφατος
Δίκη ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις.

Quamquam autem Dice talis habenda est, qualem nos statuimus, tamen in eam cadit, quod in universum de diis Graecorum valet. Nimirum constat inter viros doctos Graecae religionis originem ex naturae virium cultu repetendam esse. Verum paulatim haec religionis indoles immutata fuit [1]). Dii,

1) Cf. supra, pag. 2

qui antea naturae vires erant, *ἀνθρωποφυεῖς* facti sunt [1]). De qua commutatione, quae in ipsorum animis locum obtinuerat, ita senserunt homines ac si res extrinsecus accidisset, et dii conditionis suae mutationem experti essent. Quo factum est ut priscos deos a recentioribus e coelo pulsos esse crediderint; quod fertur in Theogonia. Optime Welcker (Gr. Götterlehre) p. 267: *„Die Erscheinung eines Wechsels war da; wie er im Laufe der Zeiten entstanden sei, erforschte und begriff Niemand: nicht an eine Veränderung der Ansichten dachte man. sondern die Götter, die verwandelt waren, stellte man sich als neu aufgetreten, die zürückgewichenen Alten als verbannt vor."*

Verum etiam post illam mutationem gravissimam multa manserunt priscae illius religionis vestigia. Animum a corpore non ita distincte sejungebant Graeci, ut nostri homines. Verbi causa Philoctetem laborantem vulnere gravi ac tetrum odorem emittente amplius navigationis socium esse noluerunt, timentes scilicet ne inde sacrificia, preces, supplicia polluerentur [2]). Siquidem Philoctetes contendit hanc non veram causam fuisse, cur ipsum in insula reliquissent, hoc irae ac furori ejus tribuendum est, nunquam enim inimicitiarum vel odii in Philoctetem mentio est. Nec Graeci Philoctetem prius ex insula repetere ausi sunt, quam ipsorum deorum monitu. Alterum exemplum est, quod *νόσος* et de animi et de corporis morbo saepius dicitur [3]). Contra *ὑγίεια φρε-*

1) HEROD. I. 131.

2) Philoct. vs. 1032.

3) Trach. vs. 543.

νῶν recte sapere significat. Qui animi sui candorem demonstrare cupiunt, testem Solem invocant. Eodem pertinet, quod impudentes monentur Solem vereri, ut in his:

ἀλλ' εἰ τὰ θνητῶν μὴ καταισχύνεσθ' ἔτι
γένεθλα, τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα
αἰδεῖσθε 'Ηλίου, τοιόνδ' ἄγος.

Quum porro animadverterimus, qua tandem ratione Dice in humanarum rerum moderamine conspicua sit, magis etiam, credo, probabimus nostram sententiam, qua *Δίκην* neque Deam, neque notionem, personae speciem modo referentem, sed *virtutem* quandam esse rebus et imprimis legibus divinis insitam censemus.

Thebis caedes regis commissa est, quam cives nullo piaculo luerunt. Pestis oritur. Tota civitas, pecora, arbores, omnia, malo illo vexantur. Caedes inulta tamquam odor teter pestilentia civitatem inficit. Oedipus, inscius caedis paternae auctor, iisdem poenis afficitur ac si volens patrem necasset; nam, utut est, patrem interfecit; necesse igitur est eum diris poenis affici; utrum animus nocendi affuerit nec ne, non quaeritur. Porro quum prava studia a patre in filium transire crederentur, ut corporis mala per omnem familiam grassari videmus, sic gentes universae prae ceteris malis obnoxiae. Ac si Ismene et Chrysothemis illis animi vitiis carent, hoc (quoniam scilicet vitia animi ad corporis morbos aequiparantur) non magis mirandum, quam si ex omni familia phtisi laborante unus duove salvi evadant.

Dice igitur, ut inter ea numina referenda est, quae ex prisca illa religione antehomerica in recentiorem, quam

Achaicam nominavimus, transierunt, ita quidpiam in se habet, quod ei commune est cum viribus naturae, quas tamquam deos in antiquissima illa periodo cultos esse statuerunt viri docti.

Jam inde explicari posse videntur multa, quae superiore saeculo homines doctos adducere potuerunt, ut minus recte statuerent de fato velut temerario quodam et malevolo daemone.

Etiamsi autem Dice ejusmodi est, et talis, qualem nos eam describere conati sumus, nil impedit, quominus justi sensus et studium in hominum pectoribus quoque δίκη diceretur. Quo tamen si quis refert locum Electrae vs. 528, fallitur. Hic enim Clytaemnestra loquens inducitur:

ἡ γὰρ Δίκη νιν εἷλεν, οὐκ ἐγὼ μόνη.

id est, non ego sola, meis affectibus relicta, sed divinâ vindictâ incitata, cujus quasi instrumentum essem, maritum necavi sacrificatae filiae Iphigeniae reum. Quibus verbis Electra respondit vs. 560

λέξω δέ σοι
ὡς οὐ δίκῃ γ' ἔκτεινας, ἀλλά σ' ἔσπασεν
πειθὼ κακοῦ πρὸς ἀνδρὸς . . . .

i. e. injuria te Justitiae divinae obtemperasse perhibes. Sed δίκη justi studium significat El. vs. 610, ubi Chorus de Electra:

ὁρῶ μένος πνέουσαν· εἰ δὲ σὺν δίκῃ
ξύνεστι, τοῦδε φροντίδ' οὐκ ἔτ' εἰσορῶ.

Item vs. 520:

. . . . πολλὰ πρὸς πολλούς με δὴ
ἐξεῖπας, ὡς θρασεῖα, καὶ πέρα δίκης
ἄρχω, καθυβρίζουσα καὶ σὲ καὶ τὰ σά.

Licet autem Dicae justitiae vindicandae munus privum tributum sit, nihilominus dii quoque justitiam tueri dicuntur. Apollo hoc munere fungitur in Oed. Reg. vs. 463. In Electra vs. 209 Jovem orat Electra, ut matrem et Aegisthum diris poenis afficiat. Vs. 175 Chorus Electrae suadet, ut Jovi iram suam atque maleficorum poenam committat. Aliis locis Dice una cum aliis diis justitiam tueri fingitur. Modo cum Jove (Ant. vs. 450), modo cum Erinue (Aj. vs. 1390 Elect. vs. 475) conjungitur. Ant. vs. 451 *Δίκη ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν* dicitur; proinde ac si Dice eodem munere in inferis, atque in superis Jupiter fungeretur. In Electra vs. 209 et vs. 175 munus illud transfertur in *θεόν*, deum quendam, nullo nomine adjectivo apposito.

In tali dictionum discrepantia omnia ad unam normam referre nec facile nec necessarium est. Provocemus itaque ad ea, quae supra monuimus. Insuper verba Platneri hac in re afferre non supervacaneum esse credo [1]: *„da die griechische Religion kein Dogma kannte und den Göttern nach einer gewissen, wenn auch beschränkten Willkür Attribute beigelegt wurden, die Trakiger dabei mit dichterischer Freiheit verfuhren, so lässt sich darüber keine Regel aufstellen, warum bald Jupiter allein, bald mit der Dike, bald bloss die letztere oder eine andere ihr verwandte Gottheit und wo es die Bestrafung, namentlich der Blütschuld gilt, bald die Dike bald die Furie, bald beide, oder die ἀρά und die Erinys (z. b. Electr. 111) angerufen werden."*

1) p. 51.

A Dice probe distinguenda est *Θέμις*. *Θέμις* de iis dicitur, quae salva debita reverentia et aequo justoque convenienter fiant. Hoc sensu occurrit vocabulum *θέμις* Electr. vs. 126, 432, 492, 565. Phil. vs. 346, 661, 811 [1]).

Respondet *θέμις* latino vocabulo *fas* et prorsus eadem significatione plerumque praedicative ponitur: *θέμις ἐστίν*. *Οὐρανία Θέμις* memoratur vs. 1063 Electr., ubi una cum Jovis fulmine mox in maleficos impetum factura esse dicitur. Unicus hic locus est, ubi in deorum numerum refertur.

§ 2. *Μοῖρα*, *Ζεύς* [2]).

In superioribus vidimus eum hominum statum *ἄτην* dici, quo recte cogitandi facultas *πάθει* quodam perturbata sit; et dein, quoniam calamitatem inde oriri necesse est, *malum* quoque illo vocabulo indicari, cujus *ἄτη* causa esset. Interdum tamen latissimo sensu, quaevis calamitas significari voce *ἄτη* potest. Sic in Oedipo Coloneo *ἄτη πρoτέρα* Sphinx Thebana est. Verum hujus significationis exempla sunt valde

1) Litera *μ* in voce *θέμις* radicalis est. Non enim derivatur a verbo *τίθημι*, sed radix, unde descendit, conservari videtur in germanico verbo *dómjan*, *doemen*, *to deem*, i. e. *judicare*. Quo fit, ut *θέμις* proprie judicium, jus significare censendum sit.

2) Hac paragrapho agendi locus quoque erit de notionibus, quae vocabulis *τύχη*, *ἀναγκαία τύχη*, *αἶσα*, *κῆρες* subsunt. Haec omnia adeo inter se cohaerere mihi videntur, ut separatim earum natura exprimi vix possit. Item ceterorum deorum partes hic exponuntur.

rara, ne dicam hoc unicum esse exemplum. Saepe enim fit, ut, ubi primo obtutu solitum hujus vocabuli usum desideramus, re melius perpensa, notionem culpae vel πάθους in ea agnoscamus. Talis hujus vocabuli usus occurrit vs. 910 Ajacis

ὤ μοι ἐμᾶς ἄτας! . . .

. . . .

ἐγὼ δ', ὁ πάντα κωφὸς, ὁ πάντ' ἄϊδρις.

κατημέλησα!

Hanc ab causam calamitatem ἄταν dicere potest Chorus, quod, ut ipse fatetur, ejus negligentia in Ajace observando in culpa quodammodo erat. Herculis autem morbus eatenus ἄτη dici potest, quatenus amor ipsius in Iolen causa calamitatis est. Quod ideo monemus, quoniam in vocabulis μοῖρα atque τύχη explicandis, idem experiemur; nimirum haec quoque vocabula interdum eo sensu occurrere, ut a solita ratione deflexum esse videatur.

Hominum vel fata vel facta, si non ἄτη, aut μοῖρα aut τύχη fieri dicuntur. Orestes Electram (vs. 1094) μοίρᾳ οὐκ ἐν ἐσθλᾷ se invenisse dicit. Optat Chorus in Oedipo Rege, (vs. 863) ut sibi adsit

μοῖρα φέροντι τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων.

Oedipus ipse exclamat (O. R. vs. 1458):

ἀλλ' ἡ μὲν ἡμῶν μοῖρ', ὅποιπερ εἶσ', ἴτω.

Philoctete Chorus quemquam negat esse aerumnosiore μοίρᾳ συντυχόντα (vs. 181).

Τύχην dicit Oedipus (O. R. vs. 773) res omnes, quarum concursu rex Thebarum factus est, τύχην quoque (vs. 776),

quod in convivio de se velut spurio convivarum quidam jocum protulerat. Teucer fratris sui casum deplorat exclamans: (Aj. vs. 980).

ὤ μοι βαρείας ἆρα τῆς ἐμῆς τύχης.

Tum (vs. 1028) Hectoris et Ajacis infortunium confert dicendo:

σκέψασθε, πρὸς θεῶν, τὴν τύχην δυοῖν βροτοῖν.

Aj. vs. 1058. Nisi Minerva aliorsum Ajacem furentem vertisset, Graecorum principes haberent τήνδε, ἣν οδ' εἴληχε τύχην i. e. mortem occubuissent.

Hoc satis exemplorum est. Fatendum est, Philoctetae nec non Ajacis casum semel τύχην dici, ubi ἄτην exspectaveris. Verum quod jam supra monuimus, vocabulorum ἄτης, μοίρας et τύχης significationes, licet probe distinguendae, aliquid tamen commune habent; mirum igitur non est, ea interdum permutata esse.

Quemadmodum enim vocabulo ἄτη tum culpae ac πάθους notionem, tum calamitatis, quae hanc sequi soleat, subesse vidimus, sic quoque μοῖρα et τύχη modo fortunae sive prosperae sive adversae causam, modo vel calamitatem vel felicitatem inde oriundam significat.

Illo sensu leguntur vs. 711, O. R.

χρησμὸς γὰρ ἦλθε Λαΐῳ ποτ', οὐκ ἐρῶ

Φοίβου γ' ἀπ' αυτοῦ τῶν δ' ὑπηρετῶν ἄπο,

ὡς αὐτὸν ἕξοι μοῖρα πρὸς παιδὸς θανεῖν,

ὅστις γένοιτ' ἐμοῦ τε κἀκείνου πάρα.

Et vs. 376, ejusdem fabulae Tiresias Oedipum monet, ne ipsum temere suspectum haberet, hoc edicto:

ου γάρ σε μοῖρα προς γ' ἐμοῦ πεσεῖν, ἐπεὶ
ἱκανὸς 'Απόλλων, ῳ ταδ' ἐκπράξαι μέλει.

In Electr. vs. 1413 Chorus dicit:

ῶ πολις, ω γενεὰ τάλαινα, νῦν σε
μοῖρα καθαμερία φθίνειν, φθίνειν,

i. e., nunc fato constitutum est te perire [1]). De fati (*μοίρας*) potentia palmarius locus est. Ant. vs. 951.

ἀλλ' ἁ μοιριδία τις δύνασις δεινα —
ουτ' ἄν νιν ὄμβρος, ουτ' Ἄρης, ου πύργος, ουχ ἁλίκτυποι
κελαιναὶ νᾶες ἐκφύγοιεν.

Philoctetes, eamus, inquit in fine fabulae,

ἐνθ' η μεγαλη Μοῖρα κομίζει
γνωμη τε φίλων, χω πανδαματωρ
δαίμων, ὁς ταῦτ' ἐπέκρανεν.

Sic quoque *τύχη* fortunae vel prosperae vel adversae causa dicitur. O. R. vs. 946.

. . . . ω θεῶν μαντεύματα,
ἵν' ἐστέ; τουτον Οἰδίπους πάλαι τρέμων
τον ανδρ' ἔφευγε μη κτάνοι. καὶ νῦν ὁδε
πρὸς τῆς τύχης ολωλεν ουδὲ τουδ' υπο.

Ibid. vs. 977.

τί δ' ἂν φοβοῖτ' ἄνθρωπος, ῳ τα τῆς τύχης
κρατεῖ, προνοια δ' ἐστὶν ουδενὸς σαφής;

Quin etiam ib. vs. 1080. Oedipus sortem suam matrem

---

[1]) Infinitivum *φθίνειν* Hermannus contra codicum auctoritatem *φθίνει* legentium recte, opinor, restituit, hoc argumento ductus, quod verbum *φθίνω* transitivam significationem non habet.

vocat. Ad hanc igitur, ut originem et causam, et se et omnia sua refert. vs. 1080.

ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμων
τῆς εὖ διδούσης, ουκ ατιμασθησομαι.

Adjectis uno alteroque loco: Ant. vs. 328 *τοῦτο γὰρ τύχη κρινεῖ.* et Phil. 546 *τύχη δὲ πως προς ταυτον ὁρμισθεὶς πέδον*, subsistemus: plura enim exempla afferre non attinet. Jam ad haec loca paulo accuratius attendamus.

Et primum quidem in Oedipo Rege saepius *τύχη* opponitur oraculi effatis. Iocaste enim, quum jam timere coepit Oedipus, ne veridicus Apollo appareat, illis verbis utitur, ut eum moneat, illum timoris expertem omnino esse, qui *τυχης* potentiam omni in re dominari, in animum sibi induxerit.

Oraculorum efficacia nulla est, ait Iocaste, nam Polybus, cui mors a filio illata ex oraculis imminere credebatur, *πρὸς της τύχης* jam mortuus est.

Omnino *τύχη* et ea, quae *πρὸς της τύχης* accidunt, contraria habenda sunt iis, quorum exitus ante constitutus et praedictus sit. *Πρὸς τῆς τύχης* sunt igitur ea, quae nemo, vel nulla res, ut fierent, effecerit; quae fieri aut non fieri aeque potuissent. Neque non eo sensu nos hoc vocabulo uti solemus.

Verum inde sequi non necesse est, ut statuamus in Sophoclis doctrina locum esse *τῇ τύχῃ*. Etiam in nostro sermone vulgari crebra *τύχης* mentio occurrit, licet neque in religione, neque in disciplinis fortunae ullus locus relinquatur. Prorsus eodem modo apud Sophoclem *τῇ τύχῃ* tribui-

tur res aliqua, cujus verae causae latent. Oedipus, quum oraculi exitum nondum suspicatur, rixam in convivio de genere suo *fortuito* ortam esse dicit: eo enim tempore nondum noverat, initium hoc esse omnium rerum illarum, quibus oraculi effatum ratum tandem fieret.

Quum vero reputamus, quales ii sint, qui prae aliis illius τύχης mentionem crebro injiciant, profecto ducimur eo, ut statuamus a Sophoclis ipsius ratione notionem *fortunae* esse alienam. Sunt enim hi Iocaste, Oedipus, in eadem fabula Custos. Jam sunt et iidem levissimi homines: Oedipus, quod ambiguo responso ab oraculo relato, metum omnem statim deposuit; Iocaste quod, quum natum ex se filiolum exponi jussisset, oraculorum memoriam prorsus excussit. Jam Custos ille in Oedipo Rege tamquam homo infimo loco natus, vel servus superstitione insignis proponitur. Quid jam ex his efficimus? Esse hominis aut levis aut stulti credere τύχην omnino esse. At postea τῇ τύχῃ statuae erectae sunt, templa exstructa, sacrificia lata. — Verum haec serioribus temporibus demum facta esse, quis ignorat? Ipsi fabularum exitus probant, quae initio πρὸς τῆς τύχης accidisse viderentur, illa revera aut ex ipsorum deorum decretis aut τῆς μοίρας arbitrio, diis administrantibus, pependisse.

Nihilominus utuntur hoc vocabulo personae tragici; verum ita, ut falsam opinionem, quae interdum inter mortales obtinet, velut fatorum suorum nullus prudens exsisteret auctor, exprimentes fingantur.

Quam sententiam profert Iocaste, hanc res ipsae redarguunt. Ne igitur talem opinionem Sophocli imputemus

probe cavendum est, neve vocabulo τύχη aliam notionem obtrudamus monent loci illi, in quibus τῇ μοίρᾳ et deorum arbitrio manifesto opponitur.

Sin rectum invenisse hac in re mihi contigerit, in errore est Lübkerus, qui notionem τύχης ita expressit [1]: *„der Complex der im Gebiete menschlicher Umstände und Verhältnisse liegenden Wirkungen."* Haec sententia mihi potius subjecta esse videtur vocabulis ἀνάγκη et ἀναγκαία τύχη. Hoc enim ita usurpari solet, ut causae quidem facti alicujus lateant, verum intercessisse numina divina credantur. Ut est in narratione illa, quam Clytaemnestrae decipiendae causa conflavit Orestes [2]. Cecideritne Orestes deorum voluntate an μοίρας arbitrio senex ille dicere non audet; persuasum tamen ei est, numina hominibus majora ad illum perdendum interfuisse.

Jam nobis notio vocis ἀνάγκης (nullo nomine adjectivo adjuncto) facile illustratur crebris his dicendi formis: πᾶσ' ἀνάγκη ἐστὶ vel πολλὴ ἀνάγκη ἐστί, quae optime sic reddi possunt: *non potest non.* Quum enim perspicuum est, ex iis, quae simul fiunt aut jam facta esse dicuntur, factum quoddam non fieri non posse, haec ἀνάγκη esse dicitur. Exemplorum instar, hos afferemus locos: O. R. 986 Oedipus metum quidem depositurum esse se praedicat, simul ac paternae mortis nuntium accepisset; verum, quamdiu mater mea in vivis est, inquit, πᾶσ' ἀνάγκη ὀκνεῖν.

---

[1]) In opere cit. p. 56, th. 1.

[2]) Electr. vs. 40.

El. 307:

ἐν τοῖς κακοῖς

πολλή 'στ' ἀνάγκη κἀπιτηδεύειν κακά.

Philoct. 538:

ἐγὼ δ' ἀνάγκῃ προὔμαθον στέργειν κακά.

Conferantur porro Electr. 1497. Philoct. 922, 1025; Trach. 295, 831; O. C. 292, 605; Ant. 1105.

Quid autem de *μοίρᾳ* dicendum? Profecto hujus quaestionis pars longe gravissima! — Nonnullorum enim virorum doctorum, imprimis Germanorum, opiniones de hujus vocabuli significatione et usu, iis tenebris sunt involutae, ut ad eas probe intelligendas maxima animi intentione opus sit. Nihilominus, quam diligentissime potero, hac de re dicere conabor. Quum igitur *τύχη* forma dicendi est minus accurata, qua uti solent homines, si, qua re aliquid fiat, nesciunt, quasi nulla omnino causa sit et fieri aut non fieri aeque possit; *ἀνάγκη* contra necessitas est, quam adesse vident in iis, quae fiunt aut facta jam sunt. His omnibus consentaneum jam est, vocabulo *μοίρᾳ* non significari ea, quae, quo tempore fiant, non fieri non potuissent (*ἀνάγκη* haec esset), sed ea, quae diu ante decreta et constituta sunt, vel etiam ea, quae ut illa eveniant, accidunt. Numquam enim *μοῖρα* memoratur, nisi in iis, de quibus constat, illa antea constituta et decreta esse. Apud Homerum quoque *μοῖρα* imprimis mors est, quum profecto constat, ab illa quemvis hominem aliquando petitum iri. Et apud Sophoclem *μοῖρα* semper de iis dicitur, quae ab oraculo enuntiata, itaque jam ante decreta sunt.

Jam tria sunt, quae explicatione aliqua profecto egeant:

1. *Μοῖρα* estne dea quaedam?
2. Estne deorum decretum et voluntas?
3. Utrum cujusque mortalium res *τῇ μοίρᾳ* definiuntur et reguntur, an de hoc illove tantum homine *μοῖρα* aliquid fieri constituit?

Platnerus deas esse *τὰς μοίρας* apud Sophoclem contendit [1]). Putat hic non esse, cur apud Sophoclem de *μοίρᾳ* aliter sentiamus, atque apud ceteros poëtas.

Nititur haec ejus opinio loco Antigones, quem infra scripsimus:

ἀλλὰ κἀπ' ἐκείνᾳ Μοῖραι μακραίωνες ἔσχον.

Nimirum *Μοῖραι μακραίωνες* deae dicendae sunt. Verum hic unicus est locus — ceteris locis *μοῖρα* semper singulari numero ponitur; — deinde praeter illos locos, quibus *μοῖρα* statum quendam aut factum quoddam significat, semel tantum ei adjungitur nomen adjectivum: *ἡ μεγάλη μοῖρα*. Jam *μεγάλη* de quavis re et quavis persona dici certe potest; nam vocabulo *ἀνάγκῃ* quoque adjunguntur nomina adjectiva *πολλή* et *πᾶσα*.

Insuper attendas, velim, ad verba *δύναμις μοιριδία*, quae prorsus idem valent ac *μοῖρα*. Porro non praetereunda haec dicendi forma *μοῖρα ἔσχε* *cum infinitivo*. Num sic de diis locutus esset poëta? Quibus omnibus perpensis, deam esse

---

1) Da die Parzen bei den Dichtern nicht durch die Einbildungskraft, also subjectiv individualisirte Begriffe sind, sonder objectiv existirende Wesen, so muss man dies auch bei dem Sophocles annehmen, p. 79.

eam non credimus, praesertim quum unicus ille locus in Antigone partem efficiat carminis lyrici a Choro cantati. Jam in hic carminibus plura occurrunt, quae priscae cogitandi rationis colorem referunt.

Neque vero cum Lubkero facimus, qui haec habet: „*Und wenn dieselbe* (μοῖρα) *bisweilen zu der Bedeutung eines blossen Antheils, einer portio* (Trach. 163) *herabsinkt, so steht ihre Bedeutung im Ganzen als das Ergebniss eines unumstösslichen Götter-Rathschlusses fest.*" Quae minus recte a viro illo doctissimo dicta esse credimus, quia his obstare videntur formae illae dicendi, quae sexcenties apud Sophoclem occurrunt.

Videamus enim. O. R. vs. 887 haec occurrunt: κακή μοῖρά νιν ἕλοιτο (i. e. κακῶς μοῖρά νιν ἕλοιτο; nam de bona et mala μοῖρα nunquam sermo est); ἡ ἐρχομένα μοῖρα legitur in Trachin. vs. 850; μοῖρα ἔκτανε, μοῖρα κομίζει, denique μοιριδία δύναμις.

Quid inde efficimus? Agens inducitur μοῖρα, non autem sic, ut conscia agat. Δύναμις igitur est vis quaedam, ut jam Δίκην vim quandam esse vidimus. Vocabuli μοῖρα notio igitur duplex est: aut sors est hominis alicujus antea definita, aut δύναμις quaedam, per quam ea, quae antea decreta sunt, rata fiunt.

Jam altera quaestio dijudicanda est. — Num sors hominum a diis constituta est? sive potius num Μοῖρα priore, quam exposuimus, significatione, idem valet quod deorum voluntas?

Antequam hanc quaestionem solvere aggredimur, de deorum

muneribus paucis agendum est. — Duplici modo dii nominari a Sophocle solent, aut nomine collectivo et generali, aut deorum unus pluresve nominatim memorantur, θεός, θεοί, δαίμων, aut ὁ Ζεύς, ἡ Ἀθηνᾶ, ὁ Ἀπόλλων ceteri. — De priore dicendi modo jam egimus. — Δαίμων enim deorum voluntas est, quae per hominum perturbationes rata fit. — Haec addenda. — Omnia, quae subita vel praeclara hominum menti succurrunt, indirecto modo deus suppeditasse creditur.

Oedipus προςθήκῃ θεῶν Sphingis aenigma solvit. Jovis sacerdos ex Oedipo quaerit, num quoddam consilium a deo aliquo audiverit. At ipse Oedipus, quum merita sua illustrari cupit, negat sibi deum in aenigmate solvendo ullum adfuisse. — Hinc jam efficimus haecce: animus pius et gratus, omnia diis referre solet, etiam tum, quum deos praesentes non cernit. Θεοὶ ὤρθωσαν τὴν πόλιν, ait Chorus in Antigone. Quae laeta evenerunt, a diis facta esse creduntur. — Neque non inde sensus ille latissimus vocis θεοῦ facile agnoscitur, quum pestis πυρφόρος θεός, vel θεός vigere in ἀγράπτοις νόμοις dicitur.

Prorsus alia ratio est, quum deorum aliquis nomine suo laudatur.

Omnino hoc certe constat. — Numquam deorum aliquis nominatim hoc illudve perfecisse creditur, nisi pateat, cur ita egerit. — Hoc etiam apud Homerum valet. Apud Sophoclem vero, pro mutata de diis opinione, eorum consilia rectae rationi, bonisque moribus magis consentanea esse, necesse est. Deinde munus deorum apud Sophoclem triplex

esse credimus. Aut una cum Dice justitiam vindicant, aut ab hominibus mala arcent, aut perficienda oracula curant, — hoc imprimis verbis *ἐκπράττειν*, *ἀνύειν*, *ἐπικραίνειν*, significatur. — His positis, non cum Lubkero contendimus hominum fata a diis constituta esse: nam licet futura deos latere non videantur, tamen oracula, quae et de Oedipo et de Philocteta eduntur, quodammodo temeraria sunt, ratio saltem ethica in iis desideratur. Quare enim filius Laji patrem occisurus esset, aut quare Hercules post ultimum laborem morti succubiturus, non facile quis declarabit.

Jam ejusmodi edicta ad deos referre, neque Graeci universi solebant, minimeque Sophocles. Quarum rerum utilitatem vel propositum non perspectum haberent, eas potius *μοίρᾳ* quam diis tribuebant. Sed plura sunt. Ipsa verba attendas velim. Numquam deorum voluntas et *μοῖρα* permutantur. Nonne verbis *ἐκπράττειν*, *ἀνύειν*, *ἐπικραίνειν*, mandati alieni perficiendi potius, quam ex suo arbitrio agendi notio subest.

Insuper dii mundum non fabricati sunt. Ex Graecorum theogonia vulgo recepta dii aeque ac terra et homines ex eodem fonte manaverant. Totius mundi *γένεσις* ex rebus physicis explicatur, quae priscae religionis fons erant. Jam praeter deos esse quandam potentiam, necesse est. — Ne quis tamen *μοῖραν* hujus *γενέσεως* auctorem fuisse statuere me putet; immo *μοιριδία δύναμις* ex eodem fonte, quo dii et homines, repetunda est. At si *μοῖρα* potentia quaedam est, per quam omnia fiunt, quid igitur dii *μοῖραν* perficiendam curare dicuntur? Ut hanc difficultatem tollam, provo-

care possum ad ea, quae initio hujus capitis monuimus; diximus nempe non omnia, quae in Sophocle de rebus divinis occurrunt, ita in concordiam redigi posse, ut in philosophica disputatione omnia congruere requiritur. Nam modo *μοῖραν* perficiendam curare dii dicuntur, modo *μοῖρα* per se rata fieri dicitur. Numquam tamen pugnare deorum voluntas cum *μοίρᾳ* dicitur. — Quum ex eodem fonte provenerunt, talis inter deos et *μοῖραν* necessitudo intercedit, ut idem velle eos, necesse sit. Audiamus Platnerum: „*Jupiter und die Parzen* (apud Sophoclem una tantum *μοῖρα*) *sind also coordinirte, übereinstimmende Mächte. — Insofern diese Gesetzlichkeit eine mit der Weltbildung gesetzte Nothwendigkeit ist, muss sie Jupiter als Regent der Welt nicht nur wissen sondern auch wollen.*"

Si in definienda notione, quae vocabulo *μοῖρα* subest, non longe a vero aberravimus, tertia, quam proposuimus, quaestio facile dirimitur.

In omnibus itaque *μοῖρα* valere certe creditur, etiam ubi mentio ejus non fit. Nesciunt enim homines qualia accidere, necesse sit, nisi ab oraculo ea praedicta sunt, aut aliunde constat qualia futura sint, e. g. mortem aliquando cuivis mortalium evenire. Non igitur malevolentia quadam *μοῖρα* homines quosdam vel quasdam familias persequi dici potest. Improbanda itaque, quae monet Schneidewinus in prooemio Oedipi Regis: „*Der Charakter des Sophokleïschen Oedipus ist fleckenlos, wie ihn einmal die Volksdichtung als ein unschuldiges Opfer des grausen Verhängnisses hingestellt hatte.*" Duo in his verbis insunt, quae minus recta mihi

videntur. Culpa non omnino vacare Oedipum probare conati sumus, et cetera verba talia sunt, ut de malevolo quodam daemone in Oedipum irruente cogitasse scriptor videatur. Jam idem ille Schneidewinus de tragoediae Oedipi Regis summa, *den Sterblichen*, inquit, *sei er noch so gut, bewahrt alle Wachsamkeit über seine Schritte nicht vor Vergehungen: aller Scharfsinn in der Erkenntniss des Richtigen frommt ihm nicht, sobald ihn die Liebe der Götter entgeht. — Mag der äussere Schein noch so blendend sein, je später und unverhoffter um so tiefer stürzen die Götter den ἐχθροδαίμων.*

Unde tandem vir doctissimus conjecit Oedipum tamquam virum diis invisum proponi? Licet autem verum sit, Oedipum ἐχθροδαίμονα et θεοῖς ἔχθιστον se ipsum nuncupare et a Choro in Oedipo Coloneo illum hoc nomine dici, tamen quo sensu ita loquatur, attendendum est. — Ἐχθροδαίμων nil nisi miser valet. Deinde quum, scelere caedis paternae detecto, diis invisum se vocat Oedipus, jure hoc facere potest, nam quicumque Dicen offendit, modo ab hac, modo a diis poenis dirissimis affici solere vidimus. Jam Oedipus in culpa est, licet non ex nostra de justitia cogitandi ratione. Dii igitur Oedipum quidem oderunt, non vero temeraria quadam malevolentia ducti eum perdunt.

Ut jam summam hujus disputationis colligamus, moneamus multa in tragoediis Sophocli inesse, quae a nostra cogitandi ratione abhorreant. Quod imprimis in justitiae notione cernitur. Justitiae vindicatio vel per se fit vel, ut ex aliis lo-

cis efficias, eget ope deorum. Semper cernitur haec vis in malo puniendo, quum facinus malum commissum est. Animus nocendi non respicitur: magis factum quam auctor respicitur. Justitiae vindicatio neque spectat, ut maleficos ad probos mores revocent, neque ut bonos tueantur dii, sed ut scelus quoddam poena auctoris luatur, ut in rebus physicis macula in veste aqua pura abstergitur.

Verum enim vero, quum dii quoque punientes finguntur, hi quidem rationem habere dicuntur num animus nocendi adfuerit. Omnia quae laeta, inopinata, etiamsi ipsorum animi perturbationibus tribuenda sunt, hominibus accidunt, a diis patrata saepe dicuntur. Verum tum latissimo sensu utitur Noster, ut fit, verbis θεοί, θεός, δαίμων. Quae hominibus ita accidunt ut quo proposito vel qua utilitate fiant nescias, ex. gr. mors Laii a filio patrata, non diis sed τῇ μοίρᾳ tribuitur, ita tamen ut hujus μοίρας dii quodammodo adjutores habendi sint.

Nostrorum temporum homines contra etiam hujusmodi facta, quorum ratio nos lateat, a diis constituta credunt, quia nobis aliunde persuasum est, omnia, licet iniqua vel inutilia nobis videantur, emendandi vel docendi nos causa nobis a Deo optimo tribui.

Jam si in Sophocle μοῖρα eo, quo explicavimus, sensu explicanda est, non cum Schneidewino vs. 516 Ajacis ἄλλη μοῖρα explicanda est ἀλλὰ δηλονοτι μοῖρα, nam μοῖρα Ajaci opponi non potest, quippe quodcunque fecerit Ajax, διὰ τὴν μοῖραν factum est.

Μοῖρα hic dicta est altera illa significatione: nempe valet

factum, casus aut hujusmodi aliquid. Neque Antigonen mortuam esse credamus, antequam dies a fato ei constituta venerit; sed μοῖρα βίου vs. Ant. vs. 896 est illud tempus moriendi, quod ex μοίρα vulgo hominibus constitutum est i. e. senectus. Mortem a nemine effugi posse, res ipsa satis docebat — unde mors saepissime μοῖρα dicitur —. Occurrit eo sensu, Ant. vs. 170 διπλῆ μοῖρα i. e. duplex caedes. Μοιριδία τίσις denique sic intelligenda est, ut munus Δίκης ac μοίρας, licet non idem, conjunctum censeas.

Trach. vs. 850:

ἡ ἐρχόμενα μοῖρα προφαίνει δολίαν καὶ μεγάλαν ἄταν.

i. e. rerum tristis eventus Nessi dolum et Dejanirae animi obcaecationem profert.

Hujus itaque disputationis summa haec est. Fatorum humanorum causae esse dicuntur variae: ἄτη, θεός *vel* δαίμων, *vel* θεός τις, δίκη, Ζεύς *ceterique dii*, μοῖρα, τύχη —.

1. Ἄτη, quae Homero dea est, vel mentis perturbatio, quae a deorum aliquo hominibus injicitur, in Sophocle perturbatio mentis est illa, quae τοῖς πάθεσι fiat.

At, quum omnia diis referantur, etiam ea, quae non ab ipsis diis facta sunt, in tali animi statu homines a diis vel a daemone vel a deorum aliquo ducti esse dicuntur.

2. Ille dicendi modus, quo nullus deorum nominatim citatur, etiam obtinet tum, quum major res aliqua accidit, quum subito in mentem alicujus incidit, quod magno commodo aut damno ei fiat.

3. Quum vero deorum aliquis nominatim hoc illudve perfecisse id quod fit, dicitur, tum aut ad justitiam vindicandam, aut ad oracula perficienda, aut ad mala ab hominibus arcenda pertinet.

4. Illam justitiae vindicationem divinam etiam uno nomine complectitur poeta. Ἡ δίκη omnia scelera detegenda et punienda curat. — Verum sic scelera persequitur, ut potius δύναμιν quandam, quam deam illam habeas.

Interdum quoque cum Jove et ceteris diis conjungitur. Modo δίκη sola, modo cum ceteris diis, modo Jupiter solus scelera persequi dicitur.

5. Μοῖρα raro memoratur. Sophocles tamen ea, quae in mythis inerant obscura et temeraria, potius tribuit numini cuidam, quod recentiores dicunt impersonale, quam diis.

Attamen vis ac natura hujus μοίρας est paulo obscurior. Dea esse non videtur. Constat tamen δίκην, deorum decreta, τὴν μοῖραν, ita congruere, ut, licet non sint eadem, nullum fere inter ea sit discrimen.

6. τύχη nil nisi opinio est. Modus dicendi est, quo et nos uti solemus, quum causae et auctores facinoris alicujus nos latent.

QUAESTIONES.

I.

Perperam Platner (*über die Idee der Gerechtigkeit in Aeschylos und Sophocles*): „die Ate in ihrer Abstammung aus den innern Zuständen unterscheidet sich von der Bethörung durch die Götter, welche von Aussen kommt." In Sophocle saltem illa distinctio non valet.

II.

Sophocles ea, quae ipsi injusta vel saltem temere facta videbantur, deorum numinibus tribui noluit. Idcirco notionem τῆς μοίρας servavit; ingressus igitur rationem, qualem ii philosophi secuti sunt, qui *Theodiceam*, quam vocant, excogitarunt.

III.

Ἡ τύχη apud Sophoclem nil nisi dicendi forma est. In tragoediis omnino vis ejus non cernitur.

IV.

Sall. Cat. c. 13, 1, caeteris anteponenda optimorum librorum lectio: *a privatis compluribus subvorsos montes, maria constrata esse.*

V.

Recte Unger (in diario Philologo 1864 3ter Supp. b. H. 1) paragraphum octavam libri primi Cic. de Offic. sic restituit: „*Perfectum officium rectum, opinor, vocemus, quoniam Graeci κατόρθωμα, hoc autem commune officium καθῆκον vocant medium; medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.*"

VI.

Recte Piderit (Cicero de Orat. lib. I c. 10) in verbis: *Democritii ceterique in suo vindicarent physici*, pro *in suo* legendum esse monuit: *in jure.*

VII.

Ciceronis Tusc. Disput. lib. I, cap. 12, 28 legatur: . . . . mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitae, quae in claris viris et feminis in coelum soleret esse; quum ceteri humi retinerentur, ut permanerent tamen.

VIII.

Versus 189 sqq. Electrae Sophoclis emenda:

ἀλλ' ἅπερεί τις ἔπακτος ἀναξία
οἰκονομῶ θαλάμους πατρός, ὧδε μὲν
αεικεῖ ξὺν στολᾷ,
πλέαις δ' ἀμφίσταμαι τραπέζαις.

IX.

In *Electrae* vs. 303:

μέλλων γὰρ ἀεὶ δρᾶν τι τὰς οὔσας τέ μοι
καὶ τὰς αποὔσας ἐλπίδας διέφθορεν.

ουσας idem valet, quod παρούσας.

X.

Jure Grote (history of Greece p. VI) cavendum esse censet, ne, Thucydidem et Aristophanem secuti, inique de Cleone demagogo judicemus.

XI.

Inique idem (ibid. XI, p. 357), quum de Phocione mortis condemnato: „*the judgment of popular execration is fully merited.*"

XII.

Sallustius, licet Ciceroni haud maledixerit, non tamen ea aequitate, qua historicum decet, merita consulis in opprimenda Catilinae conjuratione exposuit.

XIII.

Polybius in rebus gestis Cleomenis enarrandis et dijudicandis partium studio non caret.

XIV.

Jure Kruegerus: „constat Thucydidem ὑπομνημονεύματα rerum gestarum habuisse, fortasse etiam singula, ut multas orationes, jam pridem elaborasse, totum autem opus demum post bellum componere ita aggressum esse, ut a primo libro initium faceret"

XV.

In libro, qui vulgo *Aristotelis de arte poetica* dicitur, minus recte quaeque poesis genera μιμήσεις esse dicuntur.

XVI.

Sophocles potius quam Euripides ejusdem libri scriptoris naturam tragoediae exponentis animo obversatus est.

XVII.

Quae in opere *Histoire de Jules César*, T. 1, p. 10 et p. 170 de civium in classes divisione et de comitiis centuriatis traduntur parum accurate disputata sunt.

XVIII.

Dignissima sunt, quae cum a politicis tum ab historicis perpendantur, verba ampl. De Lamartine, *Vie de César*, p. 444. César . . . . grand général, habile démagogue, exécrable citoyen, brillant fléau de toute moralité et de toute liberté sur la terre, illusion de l histoire, exemple des ambitieux, nom d'autant plus funeste au monde que les tyrans s'en font une excuse, les soldats une idole, les peuples un éblouissement, qui sous la gloire leur cache la servitude et sous le triomphe leur fait oublier la vertu.

XIX.

Doctrina Latinae et Graecae linguarum, quae in gymnasiis traditur, imprimis in grammaticae regulis explicandis versari debet.